CORNELII PRUYS VAN DER HOEVEN

INITIA DISCIPLINAE

PATHOLOGICAE

AUDITORUM IN USUM EDITA.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXXIV.

AUDITORIBUS SUIS

C. PRUYS VAN DER HOEVEN

S. P. D.

Prisci erat moris, in hac Academia, Gaubium, tanquam pathologiae auctorem principem, interpretari, quanquam multis jam annis elapsis hoc vivendi docendique munere ipse defunctus erat vir summus. Hunc morem ego, quamprimum pathologiae docendae munus suscepi, mutatum nolui. Nam praeterquam, quod inpium videri posset, quae majorum essent sancita auctoritate, subvertere protinus ab eoque deflectere auctore, quo primum disciplinam hanc didiceram, ipsum ex eorum esse sciebam scriptorum numero, quos, quo melius cognoscas, eo pluris facias, quique ea propter multis minus probantur, quia qui intelligant, sunt perpauci. Librorum enim et disciplinarum par est, atque hominum ratio. Sunt qui primo mox adspectu placent, nec placebunt semper.

Sunt qui displicent primum, sed quorum cum notitia crescit amor. Talis Gaubius est, talis, quam tradit disciplina. Hinc multis invisum utriusque nomen. Terret plures aphoristica, obscura saepe Gaubii dictio, terrent abstractae, in quibus versatur notiones, neque ingeniis juvenilibus adridet, quam haec disciplina requirit, animi contentio. Non miror aliis idem, fatebor enim, quod mihi evenisse. Sed quo pacto ego quidem hanc animi repugnantiam vicerim, lubet vobis paucis referre. Physiologiam didiceram, quam nostis, jucunditatis plenissimam; audiveram Brugmansium, magni ingenii virum. Amore ardebam scientiae pulcherrimae. Ad pathologiam me converto. Tempus erat, probe memini, pulsae tyrannidis patriaeque renascentis. Cuncta laetitiae plena. Inter medias degebam civium exsultantium turbas. Nondum firmata republica, novi quotidie exorti rumores: nunc patriae hostes redire, nunc patriae adpropinquare liberatores. Interim nullus hic Leidae studiis locus. Gaudebam rursusque timebam, nec tamen studia intermittere prorsus poteram. Quare domum abire ad meos cogitabam, ut et eventum serena fronte exspectarem rei dubiae;

et studiis simul operam darem. Dictum, factum: Roterodamum abii, Gaubium mecum portans. Hic ipsum legere, nihil primum intelligere; interea temporis saepius domo exire, ut quid agatur, cognoscerem. Iterum ad illum reverti, interrogare interpretes, inde non multum proficere, rursus Gaubium animo perlegere, varia huius auctoris loca secum conferre invicem. Hoc labore saepius quidem intermisso, tandem mihi hic illic sensum percipere videor, donec magis magisque ipsius tenens sermonem, eo perfundam gaudio, quo mathematici solent, quum difficile quoddam problema solverunt. Sic, qui primum alieno eram a Gaubio animo, jam factus ipse sum Gaubianus, et cum in loca illa egregia, quibus naturae vires praedicantur, quas in physiologia suspicere didiceram, cum, inquam, in haec loca incidissem, Gaubium diligere coepi eoque postea delectatus sum adeo, ut tanquam sacerdote et mystagogo uterer, quo discipulos meos huius disciplinae mysteriis initiarem. Et sane complures sunt ac singulares huius auctoris virtutes: vera eruditio, ab optimis fontibus petita, ratio Hippocratica, veterum saltem Classicorum, sapientia et philosophia,

ab observatione et experientia natae, ad artis usum conformatae, mens ad logicam composita severitatem, lucidus rerum ordo et in tanta rerum optimarum ubertate laconica in dicendo brevitas; quibus dotibus institutiones Gaubianae tantopere eminent, ut rerum peritis codex esse coeperint, ad cuius leges artem suam facere solerent. Quae, ut mirabar, ita dolebam saepenumero, non paullo serius et vixisse et scripsisse pathologorum principem, post emendatam scilicet physiologiam; quodsi factum fuisset, longe perfectiorem habuissemus pathologiam et ad vitae theoriam adcommodatiorem. Haec dolens nolui tamen eum deserere, qui tam mihi, quam vobis diuturno usu in dies magis familiaris factus erat. Talia quidem et pridem animo versabar et nuper, quum ecce peropportune ad me venit compendii Gaubiani editor, vir spectabilis mihique probatissimus, tertiam jam editionem exhaustam esse monens, parandam novam, emendatam illam huicque aetati aptam meque adhortans, ut hunc laborem in me susciperem. Cui ita respondi, me Gaubium quidem plurimi facere, malle tamen ipsum compendium scribere, quam priscum auctorem emendan-

do antiquas aedes nova supellectile ornare. Animadverteram enim, multis quidem nominibus hunc auctorem esse commendabilem, verum universam eius rationem minus temporibus nostris convenire. Nam ut ille pathologiam scripsit ad vigentem tunc temporis doctrinam conformatam, in qua nuper ab Hallero inventa irritabilitas musculorum, veluti novus advena et peregrinus in scenam prodit, sic nos, hâc nostrâ aetate, non priscis illis immorari, sed novam oportet viam inire, quam mutata rerum medicarum conditio monstrare videtur. Quod quum intelligerem, in eam veni sententiam, quae mihi quotidie crevit, Gaubii pathologiam, salva physiologia recentiori, servari non posse. Quid facerem A. A.! ab altera parte stabat auctoritas pathologi summi, ab altera novae doctrinae veritas; vicit tandem auctoritatem veritas, quae, me saltem judice, summa esse in republica litteraria auctoritas debet. Habetis praecipuas huius libri edendi caussas, in quo illud ante omnia spectavi, ut ad certam tandem methodum revocarem et a suis ducerem principiis pathologiam, quod nisi fiat, mirum est, quanta in mente nascatur rerum omnium perturbatio; cuius rei testem locu-

pletissimam habemus historiam. Atque hoc operis consilium fuit, quod quomodo perfecerim, ipse vobis liber poterit ostendere, in quo elaborando si deficiam, honestam spero excusationem faciet rei, quam cogito, difficultas. Ab ea, quam animo complector, scientia certe abesse plurimum debet: Caeterum mihi inter scribendum semper praeclarae Gaubii institutiones ob oculos versabantur, quas utinam potuissem imitando vobis reddere. Studui certe et ab eo deflectens ipsius agnosci discipulus, quod et me hoc loco constitutum decere et vobis eiusdem, quam ornavit, Academiae civibus acceptum fore arbitrabar. Nos igitur illius monitis, praeceptis, doctrina praeparati atque instructi ulterius progredi conabimur et quousque pervenire possimus, experiri, veritatis inveniendae spe ducti. Quapropter sanctis viri immortalis manibus preces fundamus et sacrificemus, qui nobis hisque inceptis nostris faveant.

PROLEGOMENA.

DE DISCIPLINA MEDICA.

1. Nasci, crescere, decrescere, mori; hic ex naturae lege corporibus organicis praefinitus vitae cursus est.

2. Quem, quo melius cognoscatur, a primis inde initiis repetere inque corporibus simplicissimis plantarum et animalium atque ipso embryone humano primum, deinde in magis compositis, denique in homine adulto, aetate viribusque florente, contemplari oportet.

3. Sic in vitae scenam intuentibus huius genesis atque evolutionis in mente nascitur notio, cuius in homine acme cernitur ac species perfectissima.

4. Etenim vitae vegetativae, quae dicitur, corporum organicorum simpliciorum altera accedit animalis, organorum numero, perfectione, symmetriâ, harmoniâ increscens semper, ut nervorum,

sensuum, cerebri vita magis magisque efflorescat; haec vero in homine vigeat maxime.

5. Atque ipsa hac tum symmetria, tum harmonia corporis inter animantia eminet homo, cuius ut vita diversissimarum partium, organorum, systematum consentientium, cooperantium concentu efficitur, ita in ipso prae caeteris viventibus et composita magis et perfecta jure merito habetur.

6. Nec tamen ab omni tempore perfecta est; verum a matris sinu, in quo vegetat embryo et animal dormitat humanum, ad adultam usque aetatem ab aliâ ad aliam metamorphosin progreditur, donec vitae acmen attigerit, a quâ rursus decrescit, marcescentibus, emorientibus sensim partibus, genitalibus, animalibus, vegetativis, quibus tandem extinctis naturalis vitae finis, fato senili, imponitur.

7. Aequabilem hunc vitae cursum turbant morbi, ceu tot a typo perfectissimo deflexus, quorum cum corporum perfectione crescit numerus, maximus idcirco in genere humano, ab iisdem tamen ac sanitas et vita fontibus petendi.

8. Nam uti homo naturae divinae particeps, animantium perfectissimum mundique civis recte dicitur, sic eius vita, sanitas, morbus, mors caussis debentur psychicis, organicis, physicis, id est in mente, corpore rebusque externis positis.

9. Et mens quidem, corpori suo juncta, sensu,

ratione, voluntate praedita, bene multa sive instinctu, sive consilio ducta aut agit, aut patitur, quae vitam ac sanitatem tuentur, aut morbos mortemque inferunt.

10. In corpore etiam valde composito, tenerrimo, undique humoribus perfuso, mirabili partium varietate instructo, vitae principio animato, consensus vinculo juncto, inest et mutabilitas et mobilitas et sensilitas et incitatio et conspiratio, unde valetudinis secundae adversaeque caussae plurimae succrescunt.

11. Est praeterea homo magnae illius civitatis, quem vocamus mundum civis, cui ad vitam aëre opus est et cibo et aliis rebus, inter quas versatur, quasque naturae suae adcommodare semper non potest. Haec vitae incitamenta corporis mentisque vires erigunt, sustentant, pervertunt, opprimunt atque multimodis afficiunt et ab hisce vicissim afficiuntur. Hi tam sanitatis quam morborum fontes uberrimi, alimenta, venena, remedia praebent.

12. Istae mentis corporis, rerum externarum vires, sicubi naturae humanae finibus congruant, vita longa et sana fruetur homo, sin minus brevis ei et valetudinaria continget.

13. Atque hae res sunt, quas tractat medicus, eo inprimis consilio, ut hominibus suae curae traditis sanam quam maxime longamque vitam con-

ciliet, quod eo plenius consequetur, quo melius vires legesque naturae observare et ad optimos fines dirigere noverit.

14. Medicina igitur est scientia ac prudens regimen vitae ad ipsius integritatem a morbis et morte tuendam.

15. Ea non tantum, ut olim, aegris sanitatem promittens, sed sanorum quoque valetudini consulens, duplex imponit medico officium, alterum servandae vitae ac sanitatis, alterum morborum curandorum.

16. Quod ut rite exsequatur, eum teneat studiorum cursum, quo a corporum inanimatorum cognitione, quam scientiae physicae tradunt, ad organicorum transeat, quae propria physiologicarum possessio scientiarum jure censetur. Ab illis petat rerum externarum, quae sanitatem juvant, aut laedunt notitiam, ab hisce vitae ducat et historiam et contemplationem, quae lux lumenque medicinae et sine quibus ne illarum quidem in organismum potestas intelligitur. Hâc viâ ab historia naturali ad philosophiam naturae (biologiam vocant) procedens, hominem demum rite cognoscere poterit, mundi epitomen et regem, huiusque sanitatem tueri, morbis mederi. Hac evadet medicus, quem quaerimus philosophus, ἰσόθεος veteribus et dictus et habitus.

17. Ex duplici autem medici officio (§. 15.) duo

existunt disciplinarum medicarum genera, quorum alterum hominis sani cognitionem spectat, alterum hominis aegri, cui tertium adjungitur, non ad theoreticam, ut illae, sed ad practicam medicinam referendum. Quas, etsi omnes medicinae partes ita connexae sunt, ut ex toto separari non possint, ordine quodam disponere partitas et ab invicem distinctas, jubet institutionis medicae ratio.

18. Prius genus complectitur anatomen, physiologiam, psychologiam, sive doctrinam de corpore, de vita, de anima.

Anatome corporis fabricationem explicans alia specialis est, alia generalis, corporis elementa organica tradens, nuper magno studio culta, medico scitu pernecessaria. Huius disciplinae anatomicae par est in nostrâ scientiâ, ac geographiae in historiâ usus.

Physiologia, duce anatome, tum humanâ, tum comparatâ, utriusque regni organici vitam interpretatur, facto a simplicioribus vitae formis ad hominem, in quo perfectissima floret, transitu. Psychologia in animae naturam et vitam inquirit eiusque cum corpore necessitudinem.

19. Alterum genus continet pathologiam eique adjunctam anatomen pathologicam et doctrinam de morbis animi.

Pathologia alia generalis est, quae universe exponit de morbi natura, caussa, effectu, alia specia-

lis, cuius in singulis morborum formis exprimendis labor collocatur.

Anatome pathologica, vitae morborumque interpres, innata formae vitia recenset et caussas, e quibus nascuntur.

Ultima de morbis animi doctrina hosce ab animi vita dotibusque repetens disponit, describit, explanat.

20. Sequitur tertium disciplinarum genus, practicum illud, medicinam technicam spectans, quod naturae artisque auxilia tradit, quibus corporis animique salus vel servatur, vel recuperatur. Haec iterum duplex, ad hominem sanum, vel aegrum pertinet. Prior vel vitae protrahendae, macrobiotice, vel sanitatis servandae ars, hygieine adpellatur. Posterior therapeutice dicitur (tum naturae, tum artis) quae vel universalis, universali pathologiae respondens, vel peculiaris, propria quaerens morborum remedia et aptam singulis medendi methodum, sive alimentis curet, medicamentis, manu.

21. Atque hic disciplinarum medicarum cyclus est, qui ab anatome incipit, desinit in therapeuticen, interjectis utrisque physiologia et pathologia, quibus maxime partibus philosophia medica continetur. In quâ iterum ordiendum a physiologia eique subjungenda pathologia. Ut curvi norma rectum, ita morbi sanitas, et qui, quemadmodum sanos agere conveniat, noverit, bonam partem eorum te-

net, quae aegrotantium curatio postulat.

22. Praecipuus autem fons medicinae ipsa hominis natura est. Haec sanitatis conservatrix, haec medicatrix morborum, in huius viribus omnis salutis spes recte ponitur, utque a naturae observatione, imitatione Asclepiadarum ars primam originem traxit, sic ad praeclarum hoc naturae exemplar ipsam dirigere oportet semperque oportebit. Medici naturae ministri.

23. Itaque observandi studium imprimis diligenter excolendum et vires legesque notandae, quibus cum sanitas, tum morbi fiunt. Quâ in re eam sequi methodum praestat, quam propria requirit corporum organicorum ratio, ut nempe cuncta vitae phaenomena ad proprietates viresque vitales revocentur, neque ab alienis sive physicis, sive chemicis, seu metaphysicis principiis, sed a propriis, id est, physiologicis petatur corporum viventium legumque vitalium interpretatio, quâ emendatâ methodo crescant demum ac floreant in patrio solo scientiae physiologicae.

24. Exinde, quae medicinae tribuenda fides, intelligitur. Huius, ut duae sunt partes, altera theoretica, altera practica, ita partim sensus, testimonii, analogismi, partim rationis auctoritate nititur. Quodsi sua experientiae fides, rationi veritas, naturae legibus constantia, non est, cur eius caussam deseramus. Etenim tam aequabilis est

naturae ratio, ut veterum observatione proficiant posteri, ex horum scriptis suorum aegrotantium morbos dignoscere, rerum eventus praesagire, rectas medendi vias inire ac sequi discant et quaecunque pridem circa vitam, sanitatem, morbos animadversa diligenter ac notata habentur, aut ab iis legitima ratione ducta sunt theoremata, legum vim auctoritatemque nacta sint. Sic crevit in dies medendi scientia, fausto experientiae et rationis foedere; nec uno nomine salutaris, tum singulis hominibus, tum universo generi humano, fructus tulit uberrimos.

25. Nullo proinde jure imputantur arti, quae medicorum erroribus, falsis doctrinis, opinionibus praejudicatis imputanda. Nec protinus crimen artis existimandum, siquod professoris sit.

26. Sed quamvis iisdem nitatur atque alia quaecunque naturae scientia fundamentis, fatendum est tamen, multa superesse dubia, obscura, hypothetica prorsus, ea praesertim in arte, quae universam complectitur ferme naturae scientiam et circa hominis cognitionem versatur, omnium difficillimam.

27. Accedit practica difficultas, quae ab hominum propria natura eaque diversa subnascitur medico artem facienti, cui cum et communia et propria intueri oportet, quocirca utilior medicus amicus, quam extraneus censetur, ad singulorum hominum

aetate, sexu, temperamento discrepantium cognitionem descendendum et naturae cuiusque noscendi sunt mores. Quae propriorum scientia non sola contemplatione, sed artis usu praecipue comparanda, tam ingentem diversitatem offert, ut nulla possit observationum copia exhauriri; unde perspicitur, quam late pateat medendi disciplina.

28. Nec semper cunctari licet, sed venanda saepe captandaque occasio, quae in re obscura anceps adhibere remedium jubet, ne tempus medendo opportunum elabatur.

29. Pro eâ igitur parte medicinam conjecturalem esse concedimus, quae cum certa assequi semper non possit, probabilia sequitur, prudenti tamen consilio ubique utens et ab omni abhorrens opinionum periculorumque temeritate.

30. Non itaque, si quid vix millesimo in corpore aliquem decipit, id fidem non habet, cum per innumerabiles homines respondeat. Siquidem etiam spes interdum frustratur, et moritur aliquis, de quo medicus securus primo fuit. Quaeque medendi caussa reperta sunt, nonnunquam in pejus aliquibus vertunt. Neque id evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum potest. Sed est tamen medicinae fides, quae multo saepius perque multo plures aegros prodest. CELS. Med. II. 6.

DE PATHOLOGIA UNIVERSE.

31. Morborum sanatio, prima officii medici pars, est morbi, quo aeger tenetur, in sanitatem mutatio, atque ideo utramque vitae conditionem ponit medico cognitam.

32. Is igitur morborum scientiae finis est, ut, quid morbus distet a sanitate, doceat et viam sternat ad bene medendum. Ab una parte cum physiologia ab altera cum therapeutice conjuncta, medium tenens inter utramque in serie disciplinarum medicarum locum, theoriam nectens cum praxi ad utriusque disciplinae normam tractari debet. Pathologia, physiologiae interpres, partium compositionem, fabricam, munera, usum, occulta naturae opera, processibus et experimentis spontaneis melius et aptius saepe physicorum, chemicorum, extispicum periculis, analysibus, vivorum corporum incisionibus aperit atque recludit. Therapeutices quoque magistra ad naturas caussasque morborum curationes dirigens, medico in rebus gerendis ducem se praebet et comitem fidissimam.

33. Est vero pathologia, ut physiologia, pars biologiae, quum eâdem vitae notione et sanitas et morbus contineantur. Quare spectandus morbus

est tanquam propria vitae conditio, suis caussis ac notis conspicua.

34. Denique morborum etiam diversitates notandae, veluti tot a perfectissimo typo deficientes species vitae.

35. Igitur hoc loco disserendum de morborum naturis, caussis, effectibus, differentiis, universe primum, tum singulatim semperque comparate ad vitam perfectissimam. Quapropter haud supervacaneum videbitur, hanc hominis vitae perfectissimae imaginem adumbrare.

DE HOMINE ET VITA HUMANA.

36. Animal illud rationale, sagax, providum, quem vocamus hominem, reliquis animantibus et mentis antecellit et corporis dotibus et omni vitae ratione eximiamque naturam ipso externo corporis habitu prodit.

37. Neque, ut vulgo putatur, in ipso mens divina cum corpore animantis, monstroso connubio, copulatur; sed cum corpore humano amica societate mens humana juncta est, licet ab ea naturae humanae excellentia plerique, ut nunc homines sunt, distent plurimum.

38. Ad mentem humanam et corpus hominis omnisque vita mirifice a Deo composita neque sen-

su organico instinctuque, ut animantia, regitur, nec corpori eiusque voluptatibus et cupiditatibus servit, sed solus liber est manumissus in regno naturae, quem coelum tueri et erectos ad sidera tollere vultus, jussit summus Opifex rerum (δημιουργὸς). Hinc status gressusque erectus; hinc brachium et manus, illud organorum organon, rationis instrumentum, ad bellum, ad artes, ad artificia quaevis idoneum. Hinc pectus amplum, lati humeri, explicati pulmones atque egregius vocis et loquelae adparatus: hinc sensus, interpretes ac nuncii rerum et tactus subtilissimus et auditus et visus, tactus soni et lucis, quorum omnium chorus est et concentus plenissimus, nullo eorum, ut in animalibus, eminente, sed cunctis tum sensuum, tum motuum instrumentis imperante cerebro, unde capitis figura et frons et vultus, nec prominente facie, nec exstante occipite, verum ea species, quâ corpus universum capitis gratia videtur conformatum. Sic in capite et vultu, ad animae humanae sensa exprimenda mirifice apto, hominis praestantia maxime declaratur.

39. Praeterea homo mundi civis unusque omnium animantium κοσμοπολίτης omni victu vivere, omnia climata perferre, omnibus moribus adsuescere discit, ut hoc genus viventium solum in omni telluris habitabilis loco patriam agnoscat suam et stabiles figat sedes et vivat et valeat.

40. Eidem typo humano congruit hominis vita. Animali sensuum vitae cum organica viscerum non imperet, famem, sitim, aliasque voces naturae temperare, obtundere, artis, consuetudinis, morum legibus subjicere, vivere parvo bene, cupiditates, adpetitus motusque, etsi ferveant intus animi impetus, refraenare, ipsam potentissimam, quae animantium pectore reconditur, prolis generandae coeundique cupidinem rationis imperio regere solus potest.

41. Tandem unum est hoc animal, quod sentit, quid sit ordo et decus et honestas et ad hosce sensus omnem vitam conformare novit, unde humanitatis nomen ductum est.

42. Haec cogitantibus adparet, quo sensu quo ve jure hominis vita animantium perfectior dicatur. Cur tanta nervorum sit in omnem eius valetudinem bonam malamque potestas; cur cerebri tanta in nervos; cur tam ingens in homine affectionum sympathicarum numerus; cur mentis in corpus tam late pateat dominium et quae sunt id generis alia.

43. Quodsi sapientia vitae carmen moderaret, mira profecto foret morborum paucitas. Nunc vero, cum plurimi homines φιλοσώματοι, pauci φιλόσοφοι, ecquid mirum, hominem, cuius corpus et vita ad rationis virtutisque imperium prorsus conformata sunt, eo magis morbis patuisse, quo lon-

gius ab hisce naturae finibus recesserit, multoque numerosiores homini et crebriores morbos factos esse, quam reliquo generi animantium.

44. Turbato sic vitae humanae concentu, ex uno homine duplex extitit divortiumque factum est animi et corporis, unde perpetuae lites, discordia, aegritudo et fractae corporis animique vires et aucta ad aegrotandum opportunitas et extensum morborum regnum.

45. Hoc sermonis cursu sponte ducimur ad hominis morbum, in quo haec eius vita imperfecta spectatur, et explicandum et intelligendum.

DE MORBO UNIVERSE.

46. Vitae conditio ac species imperfecta eaque aliena, organismi integritatem laedens, morbus adpellatur.

47. Quemadmodum communi vitae notione et sanitas et morbus comprehenduntur, sic ab ea utriusque conditionis interpretatio petenda est omnis, cum hic neque in corpora mortua inanimata cadat, nec doctrina de morbis ad alias praeter physiologicas, quae dicuntur, disciplinas pertineat.

48. Conditionis voce complectimur quemcunque a sanitate recessum et mutationem, quae et vires et materiem organicam et solida et fluida corporis

pariter spectat, licet in quibusdam quaedam prae reliquis dotes partesque magis mutatae adpareant.

49. Nec corporis tantum, sed animi quoque dotes in morbis mutatas advertere oportet, siquidem ad perfectam hominis valetudinem mens sana in corpore sano requiritur et hominis morbi, neglecta mente eiusque arctissima cum corpore conjunctione, intelligi rite aut explicari nequeunt.

50. Mutata vitae conditione, mutari vitae actiones necesse est. Harum laesione, sensibus manifesta, propria efficitur morbi forma ac species, eius praesentiam, naturam, indolem aut obscure, aut aperte indicans.

51. Morbus, ut peculiaris vitae forma, suam, adinstar omnis vitae, originem, suas aetates, suum curriculum habet suoque mortis genere terminatur.

52. Vita imperfecta dicitur, non tantum, quia a sanitatis norma deflectit organismus aegrotans, verum potissimum, quia ipse morbus vitam degit minus compositam, quam ea est corporis universi, prospere valentis, tanto partium in unum finem conspirantium adparatu instructi.

53. Aliena porro vitae species adpellatur, quoniam hostis instar et peregrini oeconomiae quietem turbat optimisque naturae finibus adversatur; in quem insurgunt superstites in corpore vires animique impetus, unde certamina fiunt, molimina,

renisus et quidquid motuum criticorum natura proferat.

54. Par ratio est vitae duplicis, multiplicis, compositae, quam agere sibi videntur aegrotantes, quorsum plures, utut obscuri eorum sensus: instinctus, visiones, deliria, voces referendae.

55. Laedit denique organismi integritatem, qui pluribus compositus partibus, quarum societate, nexu, conspiratione, prospera valetudo efficitur, singulis singularum, universis universi organismi caussâ existentibus, integer esse nequit, quamprimum hoc partium vinculum solvitur.

56. Nam repraesentat organismus humanus vitam e simplicioribus multis organorum vitae speciebus compositam, quae uno principio animatae, in unum finem tendentes, unam efficiunt vitam humanam. Is ubi morbo turbatur, unum duntaxat et simplex esse desinit.

57. Intelligitur inde, quo sensu affirment recentiores quoque jure contendant, nullos haberi morbos universales, omnes esse topicos. Illis enim positis, omni organismi notione sublata, mortem poni.

58. Nec tamen infitiandum, paucos dari morbos, quin connubio consensuque organorum reliquum corpus afficiant, ut arduum saepe sit, praecipue aliquo ab ortu tempore interjecto, quo loco inceperit, indicare.

59. In omni igitur morbo vita una et simplex disjungitur, ut plures eodem corporis contubernio contineantur species vitae. Illud disparium vitarum in uno corpore contubernium accidit, sive veteris vitae in organo mutatione, seu novae prorsus vitae accessione. Illius generis neuroses, hujus exanthemata exemplo esse poterunt.

60. Id ergo ante omnia indagandum, quod a sanitatis normâ deflectens, organismi integritatem laeserit. Hoc vero, cum raro in sensus cadat, observatione, comparatione, ratiocinatione explorandum cauteque procedendum, ne in errores inducamur et noceamus, juvare cupientes. Ideo memoriae mandanda praeclara vox Senis: ὠφελεεῖν, ἤ μὴ βλάπτειν.

61. Ad hanc investigationem aditum recludit observatio phaenomenorum in aegro et circa aegrum praesentium, inprimis vero actionum laesarum, analogiae inductionisque vià.

62. Observationi jungenda comparatio, quâ, duce et interprete physiologia, cognoscatur, quis et quantus sit a sanitate recessus. Ita nimirum laesas actiones actionibus sanis metiendo, vitae perfectae notitia imperfectae notitiam aperiet.

63. Quae comparatio omnis, physiologia humana pariter ac comparata nititur. Illâ morbi a sanitate diversitas, hâc cum imperfectioribus vitae formis similitudo aestumatur, quam prae aliis con-

genita vitia monstrant; utrisque tandem aequo studio colendis, una cum vitae, morborum quoque scientia majora semper capiet incrementa.

64. Magnum etiam in morborum investigatione scientiae virium mentis, corporis, rerumque externarum statuendum est pretium. Hae morborum caussas et occasiones in se continent iisque probe cognitis, quid ad corpus mutandum valeant, intelligitur. Ad haec explicanda adhibuisse physicorum, chemicorum demonstrata proderit quidem, nec sufficiet tamen, nisi dynamica simul interpretatione utamur, ut quid mutationum in vivo corpore creare possint, innotescat. Quae doctrinae pars ob infinitam et rerum et corporum varietatem omnium longissime a perfectione abest.

65. Quamobrem propriae observationi accedat aliena, quae memoria temporis acti, medico praesertim pernecessaria, cui vita brevis, ars longa. Ita nempe, aliorum experientiam suae adjungendo, vitam sibi longam, artem brevem efficiet. Haec jure merito regia via habetur, ad optimos ducens eruditionis medicae fontes, quibus et naturam observandi studium et medendi scientia, summis Artis magistris praeceptoribus ac ducibus, comparatur. Dolendum vero, tam parvum esse bonarum observationum numerum et in describendis morbis desiderari botanicorum ac zoologorum in plantarum animaliumque speciebus definiendis, ex-

primendis accuratam industriam, methodum, artem.

66. Ultimum denique morbi indagandi subsidium in anatome practica et pathologica est positum, quae latentes indagat morborum caussas ac sedes, aut partium metamorphoses, vitae plasticae a norma aberrantis opera, persequitur. Firmat illud, aut refellit, prudenter adhibitum, medici de morbo sententiam, incognitam eius indolem detegit, et vestigia in corpore indicat.

67. Atque haec sunt morbi naturam indagandi auxilia subsidiaque, quae, si ad rei obscuritatem et difficultatem exigantur, huic nequaquam paria existimabuntur, praesertim ubi ad multiplices morborum in eodem homine concursus, metaptoses, metaschematismos, anomalias attendatur animus, ut adeo recte praecipientem audiamus GAUBIUM: quo quis diutius in arte cum cura elaboraverit, eo circumspectius de morborum natura pronunciare solet.

DE MORBORUM DIVISIONE.

68. Exposita hucusque morbi theoria generali, qua, quid sit morbus universe traditur, a communibus hisce ad propria magis descendendum considerandumque, quid sit id, quo morbi a morbis discrepant.

69. Illud autem morbi vel naturam spectat, vel formam; unde morborum differentiae existunt essentiales et accidentariae. Prius genus exhibet possibilium morborum naturas, ipsorumque genera summa complectitur, posterius morbos considerat suis terminis, spatio nimirum et tempore, circumscriptos, et species eorum comprehendit.

70. Hinc liquet, ordiendum a differentiis morborum essentialibus, quae circa eorum naturas quamplurimis communes cognoscendas versantur, quibus intellectis, ad formas singulis proprias deveniendum.

71. Quapropter primo abstrahendum, quod ad genera summa pertinet et in horum contemplatione subsistendum.

72. Ista contemplatio, ne inanis sit ac vaga prorsus, quaedam praemittenda videntur de elementis corporis humani organicis, sive analysi corporis organica generali.

ANALYSIS CORPORIS HUMANI ORGANICA.

73. Analysis corporis humani organica, ab analysi eiusdem chemica pariter atque anatomica distinguenda, tradens elementa organismi, haec in embryone, ubi fieri corpus incipit, et in homine na-

to, ubi jam perfectum est, contemplatur.

74. Tria praecipue stamina esse videntur, unde corporis primordia ducit nisus ille formativus: tela serosa, mucosa et intermedia utrisque vasculosa. Horum non unum ex altero gignitur, neque etiam, ut credebatur antea, ex sanguine creantur universa, sed in blastemate conjuncta haec tria sese spontanea evolutione explicant, excrescunt ac diversimode intertexta, organa, organorum systemata, universum denique corpus formant, ita quidem, ut primo explicatis serosa atque mucosa, dein paullo serius vasculosa, vasis post natum sanguinem demum exaratis, ex serosa partes nerveae et musculosae evolvantur, ex vasculosa genus vasorum, ex mucosa sese intorquente canalis cibarius eique adjuncta viscera parenchymatosa, glandulosa.

75. Analysis organica corporis perfecti docet, constare illud tum fluidis, tum solidis partibus, utrisque viventibus, quarum illae hasce longe superant. Basin partium solidarum esse telam mucosam, quae partium commune vinculum et parenchyma organicum. Praeter simplissimam illam, elementa organica esse fibram muscularem et medullam nerveam. Caetera: telam osseam, cartilagineam, tendineam, fibrosam, corneam, parenchymatosam, glandulosam, vel ex tela mucosa formari, interposita alia materia terrestri, duriori, non orga-

nica, ut ossa, vel ad excrementitias magis partes pertinere, ut tela cornea, vel ex simplicioribus composita esse, ut parenchymatosa, glandulosa. Liquida porro corporis principia, communia maxime esse gelatinam, fibrinam, albumen; humores autem compositos primarios esse sanguinem et lympham, quorum illius partes sunt cruor, fibrina, serum.

76. A simplicioribus elementis ad apparatus organorum adscendendo, discernuntur membranarum systema, complectens mucosas, serosas, fibrosas, quaeque ex hisce componuntur mixtas, systema vasorum sanguinem, lympham, chylum vehentium, systema nervorum organicorum, animalium, systema musculorum, systema ossium, quae et inter se et cum cartilaginibus, ligamentis, tendinibus cohaerent, viscera parenchymatosa, glandulosa, ex cellulosa, membranis, nervis, vasis, ductibus, varie nexis, copulatis, facta, denique partes corneae, ad limites organismi positae. Hisce partium systematibus conformatus organismus spectandus est, tanquam ex multis variisque organismis simplicioribus compositus: mucoso, seroso, fibroso, vasculoso, nerveo, musculoso, osseo, parenchymatoso, glanduloso, extensione, nexu, compositione, mixtione, organisatione, conspiratione variis.

77. Ostendit physiologia, has partes vivere, alias aliter, quarum singulis, ut sua fabrica, sic

suas esse dotes, sive proprietates vitales. Nonnullis obscurum esse sensum organicum et obscuram pariter mobilitatem, accedere in aliis sensum manifestum, cum conscientia junctum et manifestum pariter motum, qui sive voluntati subductus, sive subjectus ei sit, a propria vi musculis insita derivat. Atque ita tribus elementis organicis tres competere dotes vitales, cellulosae sensum organicum eique respondentem organicam contractilitatem, fibrae musculari irritabilitatem, medullae nerveae sensum manifestum, animalem. Denique cuique functionum generi proprias, peculiares praeesse proprietates vitales, sic duplicem existere vitam, alteram organicam, vegetativam, quorsum pertinent digestionis, nutritionis, secretionis, absorbtionis, circulationis, respirationis functiones quaeque sensu organico et contractilitate organica praesertim regitur, quamvis et huius organa quaedam tum fabrica partim musculari, tum vinculo nerveo ad alteram vitam accedant; alteram animalem, quae et sensu manifesto et motu continetur voluntario, quorsum sensus pertinent et locomotio, quae dicitur; utramque vero vitam in uno corpore conjunctam et multiplici nexu copulatam esse.

78. Systemata etiam, sive apparatus organorum, quemadmodum organismos simpliciores referunt, sic suas habent dotes vitales, quae sin-

gularum fabricam et compositionem sequuntur: membranae organicas, nisi, ut in cute et mucosis, a nervis sensus magis minusve manifestus accedat, cor et genus vasorum irritabilitatem, contractilitatem manifestam, et multiplicem nervorum munere sympatheiam, genus nerveum sentiendi, musculare, movendi facultatem, osseum, cartilagineum, tendineum vires organicas tantum, quae visceribus parenchymatosis, glandulosis quoque peculiares, ita tamen, ut quo magis composita sit partium structura, eo plures magisque compositae earum sint vires, physicae, chemicae, organicae, animales, eoque compositam magis vitam degant. Atque ex ipsis illis singulorum organismorum simpliciorum vitis vita tandem existit totius organismi communis, composita illa maxime maximeque perfecta.

79. Ex hisce systematibus conditae functionum corporis officinae, organis, viribus, variis instructae, quomodo ad vitae opera idonea sint, cognosci nequit, nisi cognita composita illa ipsarum structura, in quâ cum ingenti varietate mira elucet naturae simplicitas. Testatur structurae in loquendi, spirandi, secernendi, generandi officinis analogia, mucosae et cutis, membranarum cuiusque generis inter se similitudo, nervorum vasorumque suppar fere in omni corpore connubium, ut ad paucos typos corporis partes conformasse et in

minimis aeque ac maximis eandem normam secuta esse videatur natura. Itaque ad vitae munia membranae, glandulae, viscera, vasa, nervi, musculi, ossa, cartilagines, tendines, quum faciant, haec ita composita, intertexta, temperata sunt, ut tantum de singulis tum elementis, tum viribus adjectum sit, quantum suis muniis exsequendis requirebant.

80. In morbis explicandis semper partium corporis universarum ac singularum dotum vitaeque duplicis, communi tamen nervorum vinculo junctae, habenda ratio est. Nam morbi harum dotum mutationibus mutataeque partium structurae, quarum altera sequi, comitari, provocare solet alteram, debentur. Quumque organa et organorum systemata, ex his elementis organicis composita, plures habeant dotes conjunctas et compositam degant vitam earumque aliae in aliis morbis aegrotent, quid cuivis tribuendum, acute discernere, suaque singulis adjudicare oportet. Haec analysis pathologica, quae ab analysi organica corporis humani ducitur omnis; summae utilitatis in medendi disciplina subsidium, in praxeos labyrintho filum ariadneum et classificationis morborum naturalis fundamentum firmissimum.

81. Nec sine fructu consuletur physiologia comparata, quae exemplo animalium, quibus minor partium compositio, vita simplicior vitaeque dotes

pauciores, organorum singulorum munera pulchre declarat, corporis analysin firmat, illustrat evolutiones bene multas earumque morbos interpretatur.

82. Atque hisce principiis positis, vera demum indagari poterunt elementa morborum, quae alii morbos simplices, alii diatheses, passiones, vitia, ob naturae simplicitatem adpellaverunt. Hae simplices affectiones eapropter raro, aut nunquam cernuntur, quia in corpore hominis ad harmoniam gratumque concentum tam mirifice composito, singulari partium consensu, ex unius valetudine multarum, imo universi corporis saepenumero excitantur affectiones sympathicae. Aliarum contra sive leviores fuerint, seu partes insensiliores aut a vitae fontibus remotiores occupaverint, tam obscura est significatio, ut non prius sui praebeant indicia, quam per longas moras invaluit malum.

83. Idcirco eo accuratius investigandae sunt medico. Nam morborum origines explicant, interpretantur compositos, principiis obstare, nascentibus in tempore medicinam parare docent.

DE MORBIS SIMPLICIORIBUS.

84. Tametsi in corpore vivo materia organica, quibusque animatur vires simul et nasci et mutari

et interire, seu potius in novam vitae formam transire videntur, ut quid prius, quid posterius, dictu sit difficillimum, aliae nihilominus valetudines dotum vitalium mutatarum, aliae mutatae fabricae organorum ab initio atque praecipue signa habent.

85. Inde generalis maxime surgit morborum *dynamicorum* et *organicorum* distinctio; quorum ordine priores dynamici, a quibus quamplurimi organici originem repetunt, quippe minorem saepenumero, aut saltem facilius curandam plerumque indicant sanitatis laesionem.

86. In exponendis generibus is prae reliquis placuit ordo, quo a partibus muniisque vitae organicae ad ea vitae animalis proceditur, quem igitur non tantum hoc loco, verum in omni pathologia, quoad commode fieri poterit, servabimus.

87. Itaque ordiendum a dynamicorum definitione, ut quales tandem sint illi, intelligatur et tenendum sub nomine morborum simpliciorum proprie comprehendi elementa morborum, ex quibus ii, quales cernuntur, constant compositi, omnesque eiusmodi divisiones disciplinae gratia factas, artis esse, non naturae opera.

DE MORBIS DYNAMICIS.

88. Morbi dynamici illi dicuntur, in quibus vires dotesque vitales ad aliam legem ac normam compositae sunt, quam organismi integritas requirit.

89. Quarum ut tria distinguuntur genera summa, vis sensifera, vis motrix, vis conformatrix, haec ita componi debent, ut singula in vitam communem tuendam conspirent.

90. Et sensus quidem, tum obscurus organicus, tum manifestus animalis naturae lege in homine sejuncti sunt, ne eorum, quae in vita organica fiunt, perveniat ad cerebrum notitia, neve ab altera parte vita animalis vitae organicae functiones confundat atque pervertat.

91. Motus pariter alius est spontaneus, automaticus vitae organicae, alius arbitrarius vitae animalis, qui ita servandus ordo est, ut nec vita animalis motus automaticos turbet, nec motus arbitrarius sensu organico regatur; utrumvis horum evenerit, morbosum est.

92. Vita conformatrix eum teneat modum oportet, qui aetati, sexui, vitaeque conditioni congruus, neque exuberet, neque deficiat, sed legitimam tueatur virium oppositarum aequabilitatem.

93. In animo etiam aequabilis virium ratio eaque cum corpore societas, ut corpus animo obsequatur, animus corpori suo prospiciat, requiritur; quodsi corpus animo imperet, hic ei serviat, integra esse hominis valetudo nequit.

94. Quoniam vero vita non tantum internâ, sed externâ quoque caussâ existit, certa esse debet organismi mundique externi ratio, ad illius incolumitatem vindicandam apta.

94. Atque harum virium perpetuo conflictu perpertuoque concentu vitae aequabilitas constat, earumque si pervertatur legitima actio, ut in vitae communis tutelam conspirare cessent, morbum fieri necesse est, quem, utpote a viribus proxime oriundum, dynamicum vocamus.

96. Huius, quo melius perspiciatur origo, indagandum, quibus maxime rebus vitae actio suscitetur.

97. Earum ingens multitudo, unum stimuli nomen, quo omnes illae potentiae comprehendantur, quae vitam inertem stimulare valeant.

98. Sunt illae generis varii varioque de fonte manant: physicae, organicae, psychicae, intus, extus admotae, quae vitae actionem concitant quidem, nec solae definiunt tamen; id quod eiusdem stimuli efficacitate varia vitae conditione varia, in partes mortuas nulla, manifestatur.

99. Stimulum igitur recipiant ac percipiant par-

tes oportet, ut stimulo moveantur: illud sensum ponit, hoc motum, utut organicum saepenumero atque obscurum, utrumque ab arbitrio et conscientia remotum.

100. Quare stimulus, siquidem efficax futurus est, sui postulat admotionem et perceptionem, quam sequitur incitatio vitalis, eâ promptitudine, ut plerumque tres illae conditiones confluant, non nisi mente discernendae.

101. Incitatio vitalis perceptione sensuque potius, quam stimuli magnitudine definitur. Huius vero eiusque perceptionis dispar ratio est, prouti natura stimuli differat, aut differant, quibus admovetur, partes.

102. Nempe non tantum perceptione sensuque discrepant partes, sed suis etiam singulae stimulis moventur. Nec minor hominum respectu aetatis, sexus, temperamenti, vitae generis conditionisque, idiosyncrasiae, consuetudinis hac stimulos percipiendi dote notatur diversitas.

103. Ante omnia vero tenendum est, vitam se suo in singulis partibus modo manifestare, aliter in cellulosa quaeque ex ea struuntur, aliter in musculis, aliter in nervis. In cellulosa quaeque eiusdem naturae participes sunt, sensum inesse obscurum et obscuram quoque contrahendi facultatem, quae dotum vitalium rudimenta a nulla particula vitâ praedita absunt, quibusque

maxima pars vitae organicae moderatur. Hisce in musculis accedere vim peculiarem, insitam, irritabilem, in nervis sensum, qui, si ad cerebrum pertineat, conscientiae jungitur. Musculorum irritabilitas, fibrae musculari indita, per multa internae externaeque vitae organa distributa, in corde aliisque vitae organicae partibus maxima, in musculis voluntati parentibus cum vi nervea arctissimo vinculo copulata est. Nervi denique vasorum comites, sensus instrumenta, ex corpore tot tamque diversis elementis structo, faciunt simplex duntaxat et unum, cuius symmetria atque harmonia homo inprimis eiusque vita animalis praecellunt.

104. Itaque quot elementis organicis singulae partes constant, tot gaudent vitae dotibus, tot morbis dynamicis patent, quos ut genere distinctos ipsaque natura separatos religiose discernere oportet.

105. Patet inde, quid de eorum ratione censendum sit, qui neglecta hac distinctione, de partium in genere, sive corporis universi hypersthenia, asthenia, incitabilitate, debilitate, disserunt.

106. Facit tamen mira in tanta varietate partium elementorum organicorum paucitas naturaeque simplicitas, ut ad pauca genera summa possint redigi, quod magnum profecto huius analyseos compendium.

107. Quod nihilominus incitatio vitalis latius se extendat, nec partis incitatae finibus contineatur, communes efficiunt vitae leges: consensus, antagonismi, associationis partium universalium, singularum.

108. Consensus communis ille, aut proprius, partes eo modo jungit, ut in societatem veniant actionis et perpessionis quodque unam illarum afficit, irritat, movet, aliarum etiam sensum concitet et motum. Est praeter communem singularis partium consensus, quo arctiori cognationis vinculo inter se continentur. Vasorum, nervorum, elementorum organicorum communio eiusmodi consensu partes vincit: nec tamen adeo constanti, quin mutata morbo vita, mutetur et ipse.

109. Antagonismus, oppositio dynamica, ea partium necessitudo est, qua unius affectione altera, sed contrario plane modo afficitur, ut illius vitae incitatione, huius vita torpeat, hac vicissim aucta, illa decrescat, id quod vel in partibus structura, munere, vita paribus, vel in disparibus obvenit.

110. Associatio, potius consuetudo, est nisus in organismo actiones motusque, usu coordinatos, eadem semper lege redintegrandi, renovandi. In hanc cum usus maxima vis sit, nulla vero affinitatis organicae, desuetudine hae associationum leges

abrogantur, quas consuetudo sanciverat.

111. Nec negligenda est summa animae in corpus, corporis in animam potestas, utriusque vitam incitans, deprimens, pervertens; a quo consortio deque principatu certamine plures nervorum turbae nascuntur.

112. Haec reputanti, a dotibus vitalibus summum et sanitatem et morbos interpretandi principium petendum esse, liquet. Hisce nimirum consensus, antagonismi et associationis quaeque aliae sunt vitae legibus et morbi fiunt et morbi tolluntur, iisdemque et spontanea nititur et, quam ars naturae imitatrix perficit, morborum sanatio. Ab his optima quoque ducitur virtutum medicinalium interpretatio et medicamentorum in singulis casibus adhibendorum delectus, compositio, administratio legitima.

113. Hoc ἐνορμῶν Hippocraticis dictum quicumque a mente repetunt, haud satis apte explicant, cur eius actio a conscientia remota, arbitrio non regatur, quinimmo in partibus, a corpore vivo separatis, aliquamdiu perstet. Rectius idcirco corpori tribuas, tametsi mentis imperio quadantenus subditum esse, actiones voluntariae testantur.

114. Humoribus etiam vitam inesse, probant genesis embryonis, nutritionis, reproductionis phaenomena, ipsorum propria crasis vitalis, sive compositio dynamica, vis plastica. Excipiantur ta-

men humores excernendi, quorum, utpote heterogeneorum, in corpore retentio manifesto vitae sanitatisque nocumento est.

115. Hae vires, licet materiae organicae propriae, minus recte huius affectus dici haberique possunt, quia nullibi sub legum physicarum, chemicarum imperio illa materies creatur, neque ex corporis mechanismo legibusque mechanicis commodam habent intelligentiam.

116. An ex subtilioribus naturae viribus, electrica, magnetica? Dubitare licet, posse ex his obscuris ipsis reï obscurae lucem affundi eoque magis, cogitanti, quantopere distet hominis corpus immortalis a machina electrica, aut columna galvanica, quam multiplici nexu implicati nervorum funes, quam subtilis ramulorum divisio, quam diversa singulis tributa munera, quae summo ordine sine ullâ turba exsequuntur, quam artificiosus virium conflictus, quam mirus consensus mille modis ludens, quot plantarum animaliumque nervis et musculis carentium, aut partium ossearum aliarumve cum utrisque minime convenientium phaenomena vitalia hanc hypothesin recusent, parum aptam illam ad organismi spontaneos motus in unum finem conspirantes, ad totius denique concentum vitae explanandum.

117. Quamobrem vires vitales ab aliis quibusvis physicis, mechanicis, chemicis viribus distin-

guimus, tanquam principium sui generis, quod peculiares propriasque sibi leges sequitur, sola observatione detegendas.

118. Ex quibus efficitur, eas dignissimas esse, quae tam a physiologis, quam a pathologis animadvertantur, et suas pati posse alienationes, quae et crebrae sunt, et, sive solae, sive cum aliis vitiis complicatae, varias functionum turbas provocantes, suum sibi locum inter morborum elementa vindicant.

119. Incitatio vitalis vel excessu peccare, vel defectu dicitur: excedens sthenia, sive hypersthenia, deficiens asthenia audit. In priori motus vitalis auctus, aucta stimulorum perceptio, sanguinis aucta vis plastica ponitur eiusque caussae habentur: juventus, animi corporisque habitus mobilis, vitae genus lautum; inclinare denique fertur in acutum morbi genus, quod hac sthenica corporis conditione nititur omnis; in posteriori (astheniam vocant, alii adynamiam, torporem) ad stimulos surdae partes, languentes vitae motus, humorum tenuitas, dyscrasia, nisus in dissolutionem esse perhibentur, propriaque senibus phlegmaticis, corpore animoque torpentibus victuque parum roborante usis diathesis censetur, ad chronicum proclivis valdeque refractarium genus morborum; quibus tertia adjungitur incitationis vitalis conditio: vitae nimirum stimulorum vi oppressae,

sive sanguinis mole, sive alimentis, sive vino; sive gravi mentis commotione, seu doloris summa saevitia.

120. In hac incitationis doctrina vitae caussa externa sola spectatur eiusque ad stimulos ratio, quibus tota vita effici credebatur. Augetur incitatio vel stimulorum copia, quod sthenia, vel adaucta incitabilitate, quod hypersthenia vocatur. Contra minuitur, aut propter stimulorum inopiam, aut propter incitabilitatem stimulis exhaustam, unde asthenia directa et indirecta nascuntur.

121. Haec dogmata ab aliis aliter proposita, mutata, aucta, emendata, id vitium commune habent, ut vitae partem, nec totam contemplentur et communia nimis intueantur inque iis subsistant. Primo accidit, ut medendi scientia ad lusum arithmeticum reciderit, altero, ut negligeretur prorsus accurata partium aegrotantium distinctio, et obscura menti obversarentur morborum phantasmata.

122. Nec probe tamen hae etiam dynamicae affectiones perspiciuntur, nisi ad propriam partium organicarum compositionem, dotes vitales ac munia descendatur, sicque organismus in sua principia resolvatur et decomponatur, ut quid singula, quid cuncta in morbis patiantur et quomodo ex junctis hisce morbi, quales cernuntur compositi, existant, appareat. Est haec analytica morborum perquisitio synthesi etiam comprobanda, res dif-

ficultatis quidem plenissima, at utilissima et pathologo inprimis pernecessaria ad veram accuratamque, quam sibi optat, morborum scientiam. Quocirca operae pretium est, huius scientiae analyticae, hucusque fere neglectae, primas lineas ducere.

123. Itaque vitae excessus vitaeque defectus jam in ipsis observandi elementis organicis primum, tum in organis organorumve systematibus, denique in utraque vita, tam organica, quam animali, quo accurata magis sit haec morborum dynamicorum cognitio.

124. Tria elementa organica summa: cellulosa, fibra muscularis, medulla nervea, ratione virtutis vitalis, quâ singulae prae reliquis eminent, tres praebent generales aegrotandi formas, ad vitam plasticam, motum, sensum pertinentes. Quae eo ordine junguntur, ut sensus primum, dein motus, tandem vis conformatrix mutetur, quique a neurosi inceperat morbus dynamicus, in phlogosin transeat, et vitio organico terminetur. Haec dynamicorum in organicos permutatio; in quibus perpetua est ab affecta vita ad mutatam formam partium progressio. Idem est acutorum vitae cursus: sensu mutato suscitatur vis motrix vasorum, unde febris, inflammatio, reactio, quam terminant crises, quarum sedes, origo, fons in vita plastica.

125. Sequuntur membranae: mucosae, serosae, fibrosae. In illis cellulosa nerveis et vasculosis sta-

minibus intexta unum efficit organismum mucosum, late patentem, cuius partes et secum invicem, et cum cute arcto vinculo nectuntur. Haec communia vitae vegetativae morborumque atria sensu gaudent exquisito et cum pluribus partibus consensus, cum aliis antagonismi lege vinciuntur. Haec muci profluviorum, haemorrhagiarum, catarrhorum sedes, organa secernentia omneque glandularum genus sub se comprehendunt. Haec gustus, olfactus, digestionis, respirationis, secretionis, generationis officinarum fundamenta sunt; ut ingens numerus morborum idiopathicorum, sympathicorum, diversissimorum ab uno hoc fonte profluat.

126. Serosarum par dominium, dispar energeia vitalis, quae exhalatione, absorbtione, nutritione definitur, quarumque morbi dynamici ad phlogoses easque adhaesivas, vel plasticas, quae dicuntur, et hydropes fere redeunt.

127. Minor quoque fibrosis vita est, nec fere, nisi mechanica extensione distorsioneque vehementi inflammanda et ad sensum animalem evocanda. Inflammatae semel, ut in rheumatismo, arthritide, acute dolent et prompta doloris ab una ad alteram sedem migratio est.

128. Vasorum generi, tum absorbentium, lymphaticorum, tum sanguinem vehentium, illis irritatis absorbtio augetur, torpentibus minuitur; his increscit, decrescit exhalatio, nutritio, nec non

inflammatio inducitur, quae in capillarium systemate sedem habet; aut opposita ei atonia, gangraena, sphacelus.

129. Vitae excessus in systemate circulationis acutos inferet morbos, febres nimirum et inflammationes: febres ab aucta cordis vasorumque majorum irritabilitate et contractione, inflammationes ab aucta irritabilitate atque actione systematis capillaris, in quocunque corporis loco; huius primus gradus est congestio activa et plethora topica, irritamento inducta. Ubi stimulus, ibi fluxus. Stimulo excitatur sensus organicus, excitantur nervi, vasorum comites, et vasa ipsa, nervorumque consensu doloris aut aegritudinis in cerebro perceptio nascitur. Haec sensus organici in animalem mutatio. Nec difficilis phaenomenorum inflammationis et febris sociae, hisce intellectis, interpretatio est.

130. Inflammationum alia in aliis partibus ratio et in iisdem pro elementorum inflammatorum diversitate, quae partium compositioni exacte respondet. Exemplo sint canalis cibarius, spirandi organa, cerebrum.

131. Verum ut ex generali hocce vitae vasorum excessu, qui tam late patet, quam vasorum dominium, organa quaevis eorumque partes aegrotare possunt, ita singulis organorum partibus sui sunt proprii morbi dynamici, quibus legitimus functionum tenor interrumpitur. Hoc pacto explicatur,

cur in canali cibario, systemate uropoïetico, genitali, spirandique instrumentis dotes vitales plurimae vel seorsum, vel simul excedere queant: sensus organicus, contractilitas, irritabilitas, ipseque, licet non ubivis, sensus animalis; cur secretio morbosa, cur nimia contractio, cur spasmus, convulsio variaque nervorum affectio in iis eveniant.

132. Similiter vitae defectus vel in vasorum systemate, vel in cellulosa, vel in musculis, aut nervis aliisque compositis organorum systematibus obtingens, scorbutum provocabit, gangraenam, atoniam, paralyses, nutritionis, secretionum, excretionum turbas, quae in memoratis digestionis, respirationis, aut sensuum motuumve officinis a varia affectione dynamica variarum partium subnasci variosque effectus inferre et diversas praeterea complicationes inducere poterunt. Quamobrem nec simili affectiones istae insigniendae sunt nomine, neque eadem methodo tractandae: unde huius quoque doctrinae analyticae in praxi usus luculenter adparet.

133. Nequaquam vero in communibus hisce subsistendum, sed ad propria magis descendendum, quo pleniorem nobis efficiamus hanc cognitionem. Quocirca utramque vitam et internam organicam et externam animalem atque utriusque praecipuas functiones contemplabimur, ad ipsarum morbos dynamicos rite interpretandos.

DE MORBIS DYNAMICIS VITAE VEGETATIVAE.

134. Digestionis praecipua officina canalis cibarius, quemadmodum triplici formatur membranarum genere, sic triplici quoque obnoxia est speciei inflammationis: serosae, rheumaticae, quae gastritis veterum, mucosae, quae gastro-enteritis recentiorum. Eius musculus cavus, ut quivis alius, spasmis, convulsionibus affici, aut torpore, atonia, paralysi potest, propter nervos neurosibus, propter cryptas muciparas blennorrhoeis patet: unde vomitus, diarrhoea, cholera, cardialgia, colica, dyspepsia, alvi obstructio, morbus mucosus aliaque ex consensu quoque et antagonismo morborum dynamicorum genera jugiter enascuntur.

135. In spirandi instrumentis pariter multiplex inflammatio, vera, spuria, tracheae, bronchiorum, parenchymatis pulmonalis, pleurae, musculorum, tum acuta, tum chronica: unde catarrhus, bronchitis, peripneumonia, pleuritis, phthisis trachealis, tuberculosa, ulcerosa, et multiplex neurosis: spasmus, convulsio, paralysis, asthma, dyspnoea, apnoea, apoplexia pulmonalis, et hydropes externi, interni, et morbi sympathici, antagonistici, affectis vel aliis systematis mucosi, se-

rosi, musculosi, partibus, vel systemate cutaneo organisque alterius vitae.

136. Nec dispar fabrica est et aegrotandi facultas ac ratio systematis uropoïetici et genitalis, quorum alia sede, loco, gradu inflammatorum, spasmo constrictorum, aut torpore, paralysi tactorum, alia est doloris caeterorumque symptomatum significatio, uti deinceps in symptomatologia exponetur. Exinde dysuriae, stranguriae, ischuriae, calculorum renalium, vesicalium, blennorrhagiae, blennorrhoeae variae interpretatio petenda et in systemate uterino multiplex partus anomalus, uteri rheumatismus, spasmus, atonia, peritonitis puerperarum et numerosa affectionum sympathicarum, metastaticarum, antagonistarum cohors. Praecipue vero ad fundi et sphincteris uterini parem, ut in aliis organis musculosis, antagonismum advertendus animus est.

137. Quae, praeter dicta, ad vitam plasticam pertinent organa, in unum finem conspirant universa, nutriendi alendique sive natum hominem, sive in matris gremio dormientem foetum atque manifesta praebent generalis antagonismi documenta, veluti generis vasorum et nervorum in bene valentibus aequilibrium, in aegrotis discrepantia, neurosium in nutritionem, nutritionis in neuroses potestas, macilentia nervosis hominibus propria, polysarcia phlegmaticorum. Par antagonismus

est nervorum et musculorum utriusque systematis nervei, tum arteriarum et venarum, nisi in sanitate, in morbis saltem toties conspicuus, ex quo plurima phaenomena: febrium ac convulsionum vicissitudines, Hippocrati jam notatae, intermittentium stadia, maniacorum ventriculus, alvus, ad fortissima emetica, drastica, surdus, congestiones arteriosae, venosae aliaque id generis explicanda.

138. Adtendendum vero praesertim ad proprietates vitales, in singulis a norma deflectentes, in morbis dynamicis interpretandis. Vita organica regitur sensu motuque organicis, qui, si a norma ac lege recedant, ipsius functiones turbari necesse est. Ab utraque dote, in capillaribus mutata, congestio, inflammatio, haemorrhagia, secretio, exhalatio, nutritio morbosa, in genere lymphatico, marasmus, atrophiae, hydropes, praesertim cellulosae; ab irritabilitate, in corde febris, in ventriculo vomitus, in reliquo intestino diarrhoea, in utroque cholera, aut deficiente eadem, alvi torpor; ab affecto sensu manifesto dolores, neuralgiae variae, cardialgia, colica et multiplex affectio sympathica, ad suas singula dotes vitales revocanda. Quibus rite intellectis, non tantum morbi dynamici probabili ratione exponi, verum etiam eorum remedia ac remediorum virtutes investigari melius poterunt, quibus dotes illae, a sanitatis norma aberrantes, ad hanc ipsam reducuntur. Optandum sane, ut hoc

modo culta, haec quoque disciplinae medicae pars suum in serie disciplinarum physiologicarum locum vindicet omnisque medendi scientia, ad unam praeclaram illam vitae theoriam conformata, reliquarum scientiarum physicarum aemuletur dignitatem.

DE MORBIS DYNAMICIS VITAE ANIMALIS.

139. Vitam animalem efficiunt motus voluntarius et sensus cum conscientia. Utrique sua instrumenta, horumque sui morbi dynamici, jam paucis indagandi.

140. Motus instrumenta: ossa, musculi, altera activa, altera passiva dicta, ut vita, ita morbis differunt. Ossium vita chronica et chronicae aegritudines. Testatur inflammatio eiusque exitus: caries, necrosis, caet. Eorum tamen tegumentum, quam ipsa substantia, saepius aegrotat. Nec nisi aegre inflammantur ossa, ab inflammatis vero acutus saepe dolor, aut nervorum fibrillis irritatis, aut mutato ex mutata vita harum partium sensu, aut periostio ipso, magis, quam osse, dolente, aut affecta medullari parte.

141. Musculorum et alacris vita et acutae valetudines; rheumata, inflammationes, sive ipsius

musculi, sive ambientis cellulosae; spasmi, convulsiones; sed tardae etiam: atonia, torpor, paralysis, ac crebra pariter societas et antagonismus. Huius notissimum in flexoribus atque extensoribus trunci artuumque exemplum, nec desunt alia, quamvis minus cognita. Neque reputanti tantam musculorum in corpore varietatem: nexus, compositionis, insertionis, conjunctionis rursusque oppositionis, mirus erit tam variabilis in epilepticis, hystericis, convulsis, motuum celeriter sese excipientium, alternantium lusus, quem, in passione hysterica, Proteo mille formis ludenti candidus comparavit Sydenhamus.

142. Maior adhuc in nervorum genere et partium varietas et affectionum tum multitudo, tum mutabilitas est. Cerebrum trium meningum involucro obductum, et medulla spinalis et utriusque nervi, numero insignes et muneribus, a morbis dynamicis non fore immunes, facile praesentitur, nec tam facile adamussim explanatur. Et hic inflammatio vel meninges exque iis creberrime serosam, arachnoideam, occupabit, vel cerebrum, aut spinae medullam; hinc arachnitis (phrenitis) et encephalitis haecque vel corticalis cerebri, vel medullaris substantiae. Utriusque par, ac pleuritidis et peripneumoniae, symptomatum vitaeque sive incitatae, sive oppressae significatio. Hinc varius eventus in hydrocephalum acutum, hydro-

pem ventriculorum cerebri, abscessum, emollitionem. Hinc delirium ferox, mite, typhomania, sopor, coma, apoplexia, hemiplegia, paralysis; hinc spasmi, convulsiones universales, particulares, intelliguntur: hae, ut et particulares paralyses, crebro a medulla, alio alioque loco aegrotante.

143. In nervis vel inflammatio est, vel, sine hac, nimium acutus sensus, vel hebes, unde status nervosus et febres atacticae, nervosae, vel acutae versatiles, vel lentae typhoideae. Nervis, vel ipsorum involucro, neurilemate, inflammatis, irritatis, fieri dolores atrocissimos in carcinomate, phthisi, ulcere, vulnere, neuralgiis, odontalgia, prosopalgia Fothergillii, ischiade nervosa Cotunnii, tenendum.

144. Caeterum crebra est in valetudine prospera, crebrior in adversa, utriusque vitae sympathia, quae quidem, partim consentientibus nervis, vasisque multa anastomosi copulatis, partim communibus elementis organicis iisque conspirantibus adscribenda. Quo posito principio, morborum dynamicorum incrementum, propagatio, successio, ab una ad alteram sedem migratio, intelligitur. Ita inflammatio mucosae, sive catarrhus a Schneideriana initio facto, plures percurrere systematis mucosi provincias et coryzam excipi anginâ, tussi, diarrhoeâ; serosae abdomen, pectus, caput petere, peritonitide, pleuritide, arachnitide sese

subsequentibus, cutis phlogosi intestinorum mucosa inflammari, saepe observatur. Ita ex blennorrhagiis blennorrhoeisve systematis uropoïetici, genitalis, uterini, blennorrhoeas sympathicas subnasci systematis bronchialis, ex morbo gastrico cutis efflorescentias, ex hisce aphthas aliosque cutis internae affectus, testantur annales medicorum. Nec desunt ab altera parte antagonismi exempla in morbis capitis et pectoris praecipue, altera vita languente, vigere et florere alteram.

Ipsius ventriculi cum pulmonibus, cerebro, atque universo ferme corpore consensus ab ingenti illius nervorum apparatu potissimum repetendus est.

DE MORBIS DYNAMICIS HUMORUM.

145. Morbi dynamici humorum, parum hucusque noti, quemadmodum universe solidorum vitam sequi solent, ita jam eos pervestigare, jubet analytica, qua eundum est via. A sanguine incipiendum, communi ipsorum fonte.

146. Sanguis, humor vere vitalis, universum corpus permeans, cunctis partibus alimentum largiens et pabulum vitae, secretionum materiem subministrans, elementa organica: cruorem, fibrinam, albumen complectitur, quem ea propter

haud inepte corporis epitomen et organismi speciem fluidam nuncupaverunt. Is variis obnoxius valetudinum generibus, vel abundat, vel deficit, vel crasi mutatur.

147. Sanguinis abundantia plethora dicitur, quae, sive ad molem, aucta nimium sanguinis boni copia: aetate florente, habitu corporis molliori, vitae genere lauto, otioso, securo; sive ad spatium, imminuta systematis circulatorii capacitate: ut in mutilatis; sive ad vires, hasce gravans et liberam impediens vitae munerum exercitationem, robustis minus, quam debilibus, praesertim ex sanguinis mittendi consuetudine naturali, artificiali; seu denique spuria, quae etiam ad volumen dicitur, a sanguinis orgasmo, calore, motu, aëre, ingestis, admotis; vel venosa etiam, corpore stricto, cholerico, senili, systematis circulationis, nervorum aliarumque partium vitam opprimit, incitat, turbat diversimode, congestiones, haemorrhagias, phlogoses, febres concitans et activum morbi genus. In hoc simul eius vis plastica aucta est et copia fibrinae, quod habitus sanguinis de venâ missus, crusta pleuritica, pseudomembranae demonstrant.

148. Inopia sanguinis, ἀναιμία, in chronico morborum genere, ex defectu alimenti, inanitione, aegritudine animi corporisve, solidorum atoniae respondet, atque vitae organicae languorem comi-

tatur, sequitur, protrahit. Utplurimum simul et serum superest, propter laesam haematosin, quod hydropicis, phlegmaticis, chloroticis evenit. Subitaneam jacturam κενεαγγεῖα, collapsus, cita mors sequitur, tardiori accommodata vasorum contractione medetur natura, reparat eam sat prompte appositum alimentum.

149. Sanguinis crasis mutatur in multis morbis: scorbutico, scrofuloso, exanthematico vario, arthritico, phthisico, icterico, contagioso, unde abnormis nutritio, secretio, incitatio vasorum nervorumque, febricula hectica, organismus morbosus, et mors ex subversa funditus vita organica.

150. Quod ut rite intelligatur, paucis de sanguinis compositione atque elementis organicis videndum.

151. Elementa sanguinis organica sunt globuli, forma in homine complanata, rotunda, nucleo flavescente. Hi sanguinis liquori innatant, cui fibrina, serum, albumen, insunt. E vena missus vitaque orbatus sanguis in unam massam gelatinosam coït, unde deinceps serum exprimitur, insulam, sive partem crassiorem circumfluens, quae fibrinam habet globulosque fibrinâ conglutinatos. Seri pars primaria albumen est. Utriusque, cum seri, tum crassamenti, alia est, alio sexu, temperamento, vitae conditione, valetudine, ratio. Huius in viris sanguineis, gravidisque feminis, morbis

inflammatoriis major copia est, quam in feminis phlegmaticis, menstrua periodo, morbis chronicis, torpente vita. Sub conditione phlogistica in sanguine corium cernitur, sive crusta pleuritica, inflammatoria, ex fibrina copiosa, tardius coagulato sanguine globulisque secedentibus. Hisce numero, forma, deficientibus, fibrina decrescente, aucto sero, sanguine chylo laudabili non rite renovato, nec respiratione, circulatione, secretionibus probe mutato, subacto, depurato, nec carbonio hydrogenioque liberato, neque aucto, azoto et oxygenio, partes nervosae praesertim, eius stimulo vitali non, uti oportet, animantur, neque munera vitae explent: unde torpor, cachexia, atrophia, sensuum, motuum languor ac numerosi morbi e chronicorum genere; quemadmodum in opposito statu, acuti, inflammatorii. Putridi denique, aut hectici ex sanguine, crasi ita mutato, ut stimulo heterogeneo partes perpetuo irritet. Quinimmo rem altius repetenti videbitur, uti suus cuique animantium generi sanguis, suus cuivis aetati, sexui, homini vitaeque conditioni, sic suum fore unicuique morbo, quae propria vitae species recte et habetur et dicitur.

152. Humores a sanguine secreti etiam excessu, defectu, depravatione peccare possunt: saliva, succus gastricus, entericus, bilis, urina, caeteri. Horum humorum secretio aut uberior, aut parcior, aut abnormis, cum organorum secernentium vita

aucta, imminuta, depravata, quam arctissime conjuncta, huius maxime et stimulorum, partibus admotorum, ratione definitur. Hinc ptyalismi, blennorrhoearum, polycholiae, diabetis, febris sudatoriae, verbo profluviorum, ut et retentionum origo intelligitur, quibus si consensus atque antagonismi adjungantur leges, vicariae et metastaticae secretionis mechanismus interpretari commode poterit. Licet minime infitiandum, et hic plura obscura esse, propter obscuram organorum secernentium physiologiam, atque occultos, in viscerum penetralibus, chemiae vitalis processus.

153. Salivae vis menstrua maior, minor in morbis; succi gastrici ab acido acetico, hydrochlorico auctis, minutis, ventriculo incitato, languente; muci in catarrhis; bilis in acuta, chronica hepatis valetudine mutatio, sive abundante, seu deficiente materiae resinosa, adiposa, picromelle, seu in liquorem albuminosum degeneratio; urinarum in hysterica passione tenuitas, in phlogisticis morbis ab acido urico color profundior, a salibus crudisque in febribus intermittentibus, gastricis, scorbuto, hydrope crassities, ab admixta bile in ictero flavedo; sudoris a cutis valetudine, a pinguedine bilisve particulis copia, indoles, color, odor varius, multaque alia, quantopere ab organorum vita vitaeque conditione et incitatione pendeant humorum

secretorum vis, dotes, testantur. Qui cum sua vice alienis hisce dotibus, alio modo eoque abnormi, organa, quibus continentur, aut admoventur, stimulent, multas magnasque esse horum humorum in plerisque iisque multum diversis valetudinibus creandis, fovendis, exacerbandis, vel et mitigandis partes, mirabitur nemo.

154. Inprimis vero notanda ingens nervorum uti in nutritionem, ita in analogas huic secretiones excretionesque augendas, minuendas, mutandasque potestas est, qua fit, ut animi pathemata eas uno saepe ictu provocent, incitent, cohibeant, pervertant, rursusque emendent, corrigant. Quum vero nutritionis cum secretionibus tam arcta intercedat necessitudo, perspicitur, cur morbosas secretiones tam crebro morbosa nutritio comitetur, cur hâc vitiatâ et illae a norma sanitatis deflectant, cur a profluviis longis phthises, atrophiae, dyscrasiae, cachexiae; cur denique alimenti eupepti, euchymi, lactis praesertim et lacticiniorum par sit in utroque genere morborum efficacitas.

Denique animadvertendum, in explicandis secretionibus morbosis ad structuram, compositionem dotesque vitales organorum secernentium praecipue attendendum esse, ipsasque medicamentorum virtutes, his morbis sanandis idoneas ac pares, non mechanicam, aut chemicam, sed dynamicam reci-

pere interpretandi rationem, a communibus vitae legibus ducendam.

155. Atque his quidem praemissis, plenius jam cognosci poterunt generales maxime morborum dynamicorum formae: nervorum erethismus, narcosis; musculorum irritabilitas, torpor; vasorum orgasmus, phlogosis, gangraena; quarum phlogosis ipsam vitam plasticam mutans, ad morbos organicos a morbis dynamicis transitus est.

DE NERVORUM ERETHISMO ATQUE NARCOSI.

156. Erethismus nervorum tanta ipsorum intemperies est, ut parvis etiam incitamentis graves concitentur in oeconomiâ turbae.

157. In hoc igitur vitio in omnem organismum tyrannidem exercet homo nervosus, isque, suis cancellis non coërcitus, libere vagatur, quo facto totum corpus in organon sentiens commutatur, vitae vegetativae vitaeque animalis systemata nervea arctiori, quam oportebat, societate junguntur, sensu accepta ab altera vita ad alteram transferuntur, motusque organa utriusque vitae suis non reguntur nervis, viresque nerveae ad novam legem, a sanitatis lege aberrantem, componuntur, sicque tollitur aequabilitas vitae.

158. Habet erethismus ille sedem in cerebro, medulla spinali, variisque regni nervorum provinciis: unde mania, delirium, tetanus, trismus, epilepsia, catalepsis, photophobia, hysterica, hypochondriaca passio, neuralgiae nervorum animalium, organicorum, iisque intermedii vagi.

159. Oppositum narcoseos vitium in typho, comate, apoplexia, hemiplegiâ, paralysi, ἀνοία, amaurosi, cophosi, oppresso, infirmo, extincto sensu, sanguinis mole, inopia, crasi venosa; sive vino, venenis, contagiis, animive contentione, aut affectu tristi, cerebri nervorumque vitam deprimente.

160. Ut alterum, variam nervorum sedem occupans, varia forma prodit: somni, insaniae, anaesthesiae, immobilitatis, variarumque functionum digestionis, circulationis, secretionis, torpentium, deficientium, silentium.

161. Crebra porro erethismi in narcosin, rarior multo huius in illum permutatio, mala, bona, subinde critica. Nervorum erethismus cum febre nervosam versatilem, narcosis cum febre nervosam lentam, typhum creat.

DE IRRITABILITATE ET TORPORE MUSCULORUM.

162. In apparatu musculorum vitae excessus, quem irritabilitatem vocant, efficit, ut levi de caussa in motus enormes, eosque incompositos, spasticos, convulsivos ferantur.

163. In spasmo, eique cognata convulsione, musculi vitae animalis non cerebro, sed intercostali nervo reguntur, ita ut in hisce ad alienam normam compositae sint musculorum nervorumque vires. Musculi vitae organicae contra, vel animalis systematis vim recipiunt, vel ad ipsum, praeter naturae legem, sensus perveniunt eorum, quae patiuntur. Sic confluit utraque vita, nec motus in musculis arbitrariis ciet cerebrum, nec coördinat rite cerebellum, nec horum potentia incitatur spinae medulla, aut nervos motores sola impellit. Haec spasmorum caussa proxima. Remotae, vel in heterogeneis vitae incitamentis: mechanicis, organicis, psychicis, vel in sublato inter vasa nervosque aequilibrio positae: unde plethora nimiaque repletio pariter, atque inanitio haemorrhagiaeque, convulsiones et spasmos provocant, quos saepe febris solvit, corde nervos, virtute musculari virtutem nerveam vincente.

164. Spasmi et convulsiones, quatenus fiunt praeter voluntatem, motus automatici sunt, qui a sensu organico cieri motuque organico perfici solent, quod utrumque ex nexu nervorum vitae vegetativae cum nervis vitae animalis, tam sensui, famulantibus, quam motui, sat commodam habet intelligentiam.

165. In cunctis hisce vita humana ad imperfectiorem animalium adpropinquat, in quibus arctiori vinculo utrumque systema nectitur. Nam, quo major animalium perfectio, eo major utriusque systematis separatio, maxima illa in homine observatur.

166. Atonia, torpor, paralysis virtutis muscularis hebetudo, languor, extinctio, a nervis, musculis, vasis, sanguine repetenda, vim irritabilem ponit oppressam, fractam, deletam, nervorum, sanguinis, ipsorum denique musculorum vitio, sensu vel laeso, vel integro, affectis scilicet, vel solis nervis motus, vel sensus simul.

167. Resolutio in vita animali symmetrica esse solet, propter musculos nervosque utriusque lateris sejunctos: hinc hemiplegiae; aut inferiores superioresve artus invadere, adscendere etiam, subinde ab una vita ad alteram progredi. Hanc a musculis organicis abesse symmetriam, reï natura ostendit, observatio probat.

168. Musculi resoluti non tantum moveri, sed ali, nutriri etiam desinunt, tum propter deficientem

sanguinis in musculos inertes affluxum legitimum, tum propter affectos etiam systematis vegetativi nervos.

169. Nervorum atrophiae debetur marasmus et paralysis senum; sanguini magis, plethoricorum pariter, ac scorbuticorum torpor, fortasse etiam syphiliticorum, hydropicorum, ictericorum et cachecticorum universe: in illis nimio stimulo ac mole, in hisce mutata crasi nocet, in scorbuticis et hâc et fractâ ipsorum musculorum vitâ eorum motus languet, in rheumaticis inflammatio motum cohibet, in omnibus aliquae, maiores, minores, nervorum partes sunt.

170. A corde irritato febris, convulso palpitatio, paralytico asphyxia, nisi redeat motus, in mortem transitura. Ex musculorum aliorum sympathia, aliorum antagonismo, convulsionum et febrium vicissitudo successioque; ex communi vitae lege, virium incrementum earum decremento, spasmum paralysi excipiente, cur gravem febrem palpitatio sequatur, animi defectio, cordis quies, mors, perspicitur.

171. Febris est ab irritato corde auctaque circulatione in toto corpore. Sanguis abundans, nimis stimulans, crasi mutatus, nervi intercostales, spinales, quocunque modo affecti, ipsam concitant. Saepius naturae virium molimen, quam morbus,

partium vicinarum, remotarum magis, quam cordis unius valetudine movetur.

DE PHLOGOSI ET GANGRAENA.

172. Phlogoseos, inflammationis, principia sunt partium a stimulo incitatio et aucta inde vasorum capillarium actio. Haec in turgore vitali et orgasmo conspicua, ast brevi disparens, ubi persistit, accelerata circulatione, capillaria dilatata sanguinem rubrum excipiunt.

173. Sic tumor, rubor, calor, dolor aliaque inflammationis signa proveniunt, congestionis capillaris indicia, qua facta sanguinis stimulo ipsa phlogosis sustentatur, fovetur, magis accenditur; quae si gravior in societatem actionis venit cor, emicat febris, sanguini imprimitur character inflammatorius, quem corium pleuriticum declarat.

174. Hoc primum stadium. In altero sanguinis in vasis stagnatio est, qua circulatio, antea celerior, nunc tardescit, sensusque ponderis gravantis in parte subnascitur. Interdum depletur pars inflammata haemorrhagia spontanea, quae inflammationem ipsam tollit.

175. Id si non fiat, stasi sanguinis congesti subsistente, hic, vel ruptis vasculis in parenchyma inflammatum infunditur, vel, iis integris, deponi-

tur fibrina, in pseudomembranas concrescens, vel pus secernitur, saepe propria membrana tenui formata, huius secretionis pathologicae instrumento. Levior inflammatio resorbtione sanguinis stagnantis et resolutione, gravissima, omni motu circulatorio suffocato, gangraena, i. e. morte topica, terminatur. Longior denique in chronicam inflammationem transit.

176. Varii hi eventus et partium aegrotantium et corporum naturas sequuntur, ut alia sit cellulosae, alia membranae serosae, mucosae, fibrosae, alia telae osseae, muscularis, alia glandularum, phlogosi tentatarum, ratio; neque eventus tantum, humorumve secretorum, sed decursus etiam respectu discrepant. Nec minor diversitas ab aetate, sexu, temperamento, valetudine eorum, quos inflammatio tenet, oboritur. In plethoricis, sanguineis, gravidis, phlogistica diathesis et aucta vita plastica inflammationem praecedit, qua semel nata, sanguis ita mutatur, ut stimulo ipse suo eam sustineat; in lymphaticis chronica, in cachecticis impura erit.

177. In germana puraque inflammatione vita sanguinis aucta est, eiusque vis partes incitans increvit. Hoc vitae augmentum in sanguine subinde praecedit, subinde sequitur processum phlogisticum. Est ubi sanguis, antea sanus, ex inflammatione habitum phlogisticum induat, abnormi ca-

pillarium actione sanguinis naturam mutante. Est ubi sanguis, crasi prius mutatus, stimulo heterogeneo partes stimulet. In altero casu capillarium actio sanguinem aegrotare facit; in altero a sanguine morboso capillaribus inducitur inflammatio; tunc febris praecedit inflammationem, quemadmodum in exanthematibus febrilibus, contagio sanguine suscepto, febris eruptionis phlegmasiam cutis praenotat.

178. Ubi materies septica sanguinis massam inquinaverit, eius stimulo peregrino provocantur phlegmasiae gangraenosae. Nec dispar origo est inflammationis scrofulosae, syphiliticae et specificae cuiuscunque, qua sanguis atque humores creantur sui generis, et sui generis pariter secretio, suppuratio, metamorphosis partium. In quas peculiares inflammationes peculiaris convenit, cuivis diathesi emendandae idonea, medendi methodus.

179. Sic sponte devenimus ad morbos organicos interpretandos, in quibus ipsa vita plastica aegrotat, quae in omni similiter inflammatione afficitur, eo magis, quo morbus gravior, adultior, magisque chronicus.

DE MORBIS ORGANICIS UNIVERSE.

180. Ad corporis vivi notionem concurrunt dy-

namis, seu vis propria, et fabrica formaque organica, quarum et illa et haec in morbis laeditur. Priori vel primario, vel praecipue laesa, exoritur morbus dynamicus, de quo genere jam expositum est, hâc laesâ organicus existit, de quo nunc dicendum.

181. Itaque morbus organicus ille adpellatur, in quo partium fabrica formaque organica sive primario, sive secundario laesa est, ita ut harum munia, ad sanitatem necessaria, vel turbentur, vel omnino cessent.

182. Huius et prioris generis magna cognatio est. Rara sine organico vitio affectio dynamica imprimis diuturnior, nullum vitium organicum, vi partis integra. Unus est a dynamico ad organicum morbum transitus, neque sympathici, aut antagonistici ab hac organismi mutatione tuti. Quare ad pathogenesin cognoscendam utriusque generis nexum, connubia, consequentias investigasse, ad medicinam vero rite faciendam, praevidisse, sique fieri possit, praevertisse, aut limitasse, necesse est.

183. Quoniam vero sub communi morborum organicorum nomine duo multum disparia morborum elementa comprehendantur, nempe et mechanicae, et organicae corporis laesiones, quarum illae mechanismum et mechanicas dotes, hae organismum dotesque organicas spectant, accurata disci-

plina eas seorsum pertractare jubet, initio facto a laesionibus mechanicis, utpote simplicioris naturae ideoque facilioris intellectus.

LAESIONES MECHANICAE.

184. Mechanismus corporis, seu machinarum viventium systema, pluribus constat instrumentis, structura, forma, situ, nexu, definitis, quibus ad sua quaeque munera motusque exsequendos apta existunt, et magnam quandam, maxime compositam, at perfectissimam simul, machinam efficiunt, cuius dotes istae mechanicae, instrumentariae, si vitiantur, mechanicas creant laesiones, a dynamicis rite discernendas, atque nunc separatim tradendas.

185. Quandoquidem ad machinam quamcunque haec maxime requiruntur: materia et motus, hoc loco praesertim indagandum, quid in materia ac fabricatione corporis mutatum esse possit, quo motus machinae humanae turbentur.

186. Laeditur haec machina: cohaesione, forma, nexu, situ partium firmarum, fluidorum denique ad solida ratione, praeter naturae modum, mutatis, depravatis. De singulis videndum ac primo loco de continui solutionibus.

187. Caeterum quae huc referuntur: vulnera, fracturae, luxationes, herniae, prolapsus, partium

munia turbando morbos quidem inferunt, neque ipsae tamen morborum nomine dicendae sunt, nisi, quae corporibus mortuorum similes eveniant laesiones, etiam hoc nomine dicas. Quamobrem peculiari laesionum mechanicarum titulo comprehendantur.

DE CONTINUI SOLUTIONIBUS.

188. Partium firmarum primaria dos est cohaesio. Hâc aptitudo nititur ad reliquas dotes mechanicas recipiendas, servandas, eâque vitiatâ, tollitur, et motus partium multiplici ratione impeditur. Huc continui solutiones: vulnera, fracturae, contusiones referendae, quibus organorum integritas perit.

189. Ad organi cuiusque integritatem, quâ muniis suis exsequendis idoneum evadit, certus requiritur particularum contactus mutuus et illa simul vis attractionis, ut apte inter se cohaereant.

190. Vulnus est solutio continui in parte solida, molli, vi mechanica facta. Producitur ab injuria, quam vis secans, pungens, contundens, cohaesione partium major infert, proque harum potentiarum et quas hae laedunt partium modique, quo laedunt, diversitate, plurimum ipsa differunt, varioque nomine dicuntur: sectionis, caesionis, excisionis, puncturae, rupturae, fissurae, contusionis.

Quidquid adeo sanarum functionum ab integritate partium continentium, contentarum, movendarumque, aut moventium pendet, nato vulnere vitiari necesse est. Unde quae hinc oriuntur turbae, numero et varietate infinitae, perspiciuntur. Accedunt autem et salutares naturae motus, qui vulnus ad sanescendum disponunt, inflammatione plastica, suppuratoria, qua feliciter peracta, clauditur et cicatricem ducit. Nempe omnis vulnerum sanatio naturae opus est, cuius vires organicae, irritatione ex vulnere suscitatae, processum phlogisticum concipiunt, quem in gravioribus vulneribus febris traumatica comitatur, quibus mirum illud opus, cum nullo alio in corporibus vita orbatis comparandum, omnique arte humana longe superius, absolvitur. Hoc nutritionis, oculis quadantenus patentis, exemplar naturaene arcana in corporibus creandis alendisque recludere posse, negabitur?

191. Fractura (vulnus ossis) solutio continui est in parte dura, ossea, cartilaginea, a caussis mechanicis facta. Haec lato sensu comprehendit fissuram, praecisionem, attritionem, vulnere ossis aut simplici magis, aut contusione complicato. Potentiis ergo similibus, ut vulnus oritur, iisque ossium cohaesionem superantibus. Alius longe naturae, quae ex nutritione vitiosa, senectutis morborumve quorumdam comite, sola musculorum actione subinde efficitur, mechanicis laesionibus nullo

jure adnumeratur. Os fractum et motus impedit mechanismum, et nocet perturbatione, irritatione, distractione, pressione, laceratione partium vicinarum.

192. Quae hisce turbis in osse suscitatur inflammatio, ibidem lymphae plasticae secretionem movet, quae sensim sensimque solidescens, commune parenchyma nutriens format, substantiam fibrosam, cartilagineam, osseam suscepturum. Sic callus formatur, ossis vulnerati cicatrix, iisdem, quibus ossa sana in foetu generantur, naturae plasticae atque osteogeneseos legibus. Callus perfectus, organicus, pars ossis fit, cuius vita plastica fuerat creatus.

193. Ulcus est solutio continui, originis dynamicae, quae superanti debetur absorbtioni et motui decompositionis. Hinc plaga ulcerans nec pus secernit laudabile, nec nisum ostendit plasticum, sed saniem, ichorem plorat, ex quo aut nulla materia organica creatur, aut talis, quae ad implendam plagam, aut resarciendum damnum copia indoleque inepta est. Discernitur a vulnere: origine, indole, curatione. Ulcerum varius habitus ex morbosa diathesi natus, ad dignoscendam hanc indeque oriundam vitae plasticae aegritudinem, haud inutiliter adhibetur.

194. Nexus incongrui vitia nec huius loci sunt, nec ad unum titulum referri possunt universa,

Alia connata sunt, alia inflammationum aliorumve morborum sequelae, nulla, licet partium mechanismum pervertant, mechanicis laesionibus inferuntur.

195. Sequitur situs perversus, plures species habens, huc revocandas: herniam, prolapsum, luxationem, quas nunc paucis persequamur.

DE SITUS PERVERSI SPECIEBUS.

196. Suus est in machina animali singulis partibus adsignatus locus, quem si deserant, vitae motus integer esse nequit, etiamsi nil praeterea vitiosum sit. Haec situs perversio, quatenus caussis mechanicis inducitur, alteram laesionum mechanicarum classem profert, quae hernias, prolapsus, luxationes complectitur.

197. Hernia est situs perversi ea species, in qua viscus, e cavitate sua egressum, loco alieno reconditur. Hoc nomen genericum eos excludit tumores, quos, nomine inepto, hernias spurias nuncupaverunt.

198. Communis herniarum caussa, vel in cavitatum maiorum corporis parietibus vulneratis, ruptis, laxatis, vel in contentis interaneis parietes nimia vi urgentibus, quaerenda.

199. Prima herniarum divisio a corporis cavitatibus maioribus, in quarum ambitu accidunt, petitur, unde herniae abdominis, pectoris, capitis distinguuntur.

200. Omnium frequentissimae herniae abdominales. Ibi enim naturale ad hernias seminium. Nempe abdominis cavo includuntur viscera, quorum mutabilis, atque ex plenitudine, vacuitate, a cibo, foetu, adipe, humoribus, perpetuo varians moles, nec stabilis semper sedes. Haec tegumento continentur membranaceo, musculoso, tendineo, a peritonaeo, musculis abdominis, linea alba, cute. Sic prementibus visceribus in parietes abdominales hisque in viscera contenta renitentibus, virium oppositarum existit aequilibrium, quo, sive virtute viscerum premente aucta, seu fracto alicubi robore parietum, sublato, elabitur viscus et hernia nascitur, cuius hic eo major opportunitas, propter cavitatem non ossibus, ut pectoris, aut capitis, undique fulcitam, sed molliori maximam partem involucro, nec paris ubique roboris circumscriptam. A latere, quae retinent ossa, ab anteriori latissimaque sede deficiunt. Inferius, quo loco vasorum fasciculi ex abdomine egrediuntur, et musculi desunt, et tendines, nudumque sub cute jacet peritonaeum. Hisce igitur caeterisque infirmioribus maxime abdominis locis: ad umbilicum, lineam albam, inguina, femora, existunt her-

niae, ubicunque vel natura minus firmavit, vel debilitavit vitae conditio, aut morbus.

201. Istis quidem locis, cum venter minus resistat, non mirum est, hernias fieri, sicubi vehementior corporis nixus, spiritu cohibito, casus ab alto, praeceps saltus, ictus abdomini illatus, tibiarum inflatus, ventre simul alimentis, foetu, aëre, adipe, aqua admodum distento, aut crebra praegnatione, subitanea depletione, inanitione, macie, relaxato, aut superne per vestes arctiores valde compresso, aut feminibus multum diductis, occasionem illis nascendis dederit.

202. Quae umbilicum occupat, primae aetatis magis, quam adultioris est. In tenellis embryonibus umbilicus nullus, sed unum vesiculae umbilicalis abdominisque cavum. In hoc, tanquam abdominis appendice, formantur intestina, formata abdomen subeunt, eoque contracto comprehenduntur, effictis, clausis, firmatisque eius parietibus. Quodam igitur vitae embryonis tempore, secundum naturam, adest hernia umbilicalis, quo praeterlapso, intestinis non, ut oportebat, abdomen ingressis, in parvulo superest hernia umbilicalis congenita. Obliterato deinceps canali annuloque umbilici, vasis in ligamenta coalitis, concretis, orificio contracto, margine tendineo cincto, duriore cellulosa obturato, nullus ferme ventris locus umbilico firmior. Idcirco, quae acquisitae appellantur her-

niae umbilicales, vel a prima aetate non rite clausis firmatisque his partibus repetendae sunt, vel ad lineam albam pertinent.

203. Hernia lineae albae, feminis crebro enixis frequens, ex infirmata, propter multam iteratamque gestationem, hac medii abdominis aponeurosi. Ut plurimum inter processum ossis sterni et umbilicum supraque eundem nascitur, visceribus ab utero gravido huc repulsis. Discernitur a priori collo atque tumore ovali.

204. In utroque inguine annulus est, sive potius canalis musculoso-tendineus, ex transverso abdominis et utroque obliquo formatus, ab iliis ad pubem, per quem ex abdomine egreditur funiculus vasorum spermaticorum, in viris ad testes, in feminis ad pudenda externa demissus. Ibidem membrana peritonaei nudior, laxior, minusque extrinsecus firmata, saepissime herniam patitur, quae canalis ductum secuta, sub arcu femorali per annulum inguinalem elabitur. Haec βουβωνοκήλη, hernia inguinalis, quae inferius in scrotum devoluta, ὄσχεοκήλην, herniam scrotalem facit. Pueris quandoque connasci, una cum teste, secundum peritonaei propaginem (Hunteri gubernaculum vocant) in scrotum descendentibus intestinis, praesertim, ubi huic praeter naturam adhaeserint, observatio docet.

Distinguitur inter herniam inguinalem externam

et internam, quarum haec inferiori abdominis loco nascitur, per aponeuroses musculi transversi et obliqui interni, prope annulum inguinalem, transit et per orificium externum canalis inguinalis, una cum funiculo spermatico, elabitur, nec dimovens arteriam epigastricam. Haec herniam ventralem et inguinalem, in unam conjunctas, obfert.

205. Ad femora, sive externum inguinis latus, quae nascitur hernia, cruralis, femoralis, μηροκήλης nomine vocatur. Nempe ubi ligamentum Falloppii pubi inseritur, in pelvi expansio est membranacea, triangularis, quae a primo inventore Gimbernatti ligamentum dicitur. Hic canalis est et annulus cruralis, membrana tenui velatus, in quo hernia formatur, inter latus internum venae cruralis et basin concavam ligamenti Gimbernattiani, quae, sub ligamento Falloppii adparens primum, postea per femur descendit. Haec feminis crebrius evenit, quibus ut annulus inguinalis arctior, depressior, pubi proprior, sic pelvis latior, et locus, quo exeunt vasa cruralia, a pube remotior.

206. Rariores, quae ad reliqua abdominis, trunci, pelvis loca interna, externa: diaphragma, lumbos, dorsum, perinaeum intraque vaginam caet., quibus varia ab his ipsis imposita nomina.

207. Nec minor herniarum, respectu viscerum, quae continent, diversitas. Quamquam omnia ab-

dominis viscera prolabi possunt, reliquis tamen saepius intestina atque omentum, aut utrumque: unde ἐντεροκήλη, ἐπιπλοοκήλη, ἐντεροεπιπλοοκήλη. Quae ventriculum includit, γαστροκήλη, quae utero gravida est, ὑστεροκήλη, quae vesicam recondit, κυστοκήλη: hoc in herniis inguinalibus, vaginalibus et perinaei saepe visum.

208. Impedimenta functionum, quae ex hisce laesionibus mechanicis nascuntur numerosa, pro diversitate dimotarum partium diversa, distractio, irritatio, coarctatio, motuum interceptio, nutritio, conformatio, concretio morbosa ipsarum et vicinarum, si strictius collum sacci herniosi viam occluserit, praesertim periculosa: inflammationem, gangraenam, mortem inferunt.

209. Subinde tamen post gangraenam factam, ano contra naturam, vita servatur, qui vel semper hiat, vel, raro licet exemplo, clauditur, restituta per inflammationem adhaesivam, plasticam, qua cum intestino concrescit sacci herniosi collum, ipsius canalis cibarii continuitate.

210. Cavum pectoris a latere costis, antrorsum sterno firmius munitum, herniis minus obnoxium est, easque nonnisi praegressa continui solutione, per vulnus, suppurationem, cariem, fracturam, inducta, contrahere potest. Sub hâc conditione pulmonis pars pleurae sacco inclusa,

elabitur et integumentis externis tecta, herniam pectoralem constituit.

211. Similiter cerebri pars in herniam incidit ac dura meninge circumdata, per impeditam in foetu osteogenesin, aut per ipsa cranii ossa vulnerata, carie exesa, prolabitur, integumenta externa in tumorem elevans. Hic tumor, qui hernia cerebri, ἐγκεφαλοκήλη dicitur, cuti concolor, mollis, aequali rhythmo cum respiratione subsidens et resurgens, cranii perforati margine cinctus, rudi manu pressus, soporem, convulsionem, paralysin efficit.

212. Suppar herniae vitium est, nec tamen mechanicae originis, ob similitudinem symptomatum hic commemorandum, quod volvulus, ileus, intussusceptio, invaginatio dicitur, intestinis proprium. Oritur, sicubi pars tubi contractior vicinam ampliorem subit eaque retinetur. Spasmus a flatu, acribus, aut alio quocunque irritamento rursusque atonia morbum creant, qui saepenumero sub mortem ex convulsione nascitur, aut saepe etiam prius natus, dirum ilium provocat, atroci colica, vomitu, alvi adstrictione, ischuria insignem, herniae strangulatae signis, natura, exitu parem, nec non, rara licet, naturae medicatricis curatione. In crasso crebrior, quam in tenui; nec semper aut parvus, aut simplex; utpluri-

mum sursum, sed etiam deorsum, immo et hoc et illud.

213. Altera situs perversi species est prolapsus, procidentia, πρόπτωσις in quo viscus non tantum, ut in hernia de sede sua dimovetur, verum extus quoque nudum prominet. Quidquid partium vincula laxat, aut solvit, earum frangit tonum, aut ipsis vim infert, prolapsui nascendo praebet opportunitatem: a quo diutius persistente, circulatio, nutritio, fabrica, functio visceris, aut partium vicinarum turbari solent.

214. Huius loci sunt prolapsus ani, vaginae, uteri, sive solius mucosae, quod vulgo, sive totius partis, quod raro. Procidentiae ani infantibus, feminis, senibus crebro accidunt, ex partium laxitate, sphincteris resolutione, irritatione: sub ploratu, tussi, nixu, partu. Repositum viscus levi de caussa facile relabitur. A non reposito dolor, tumor, inflammatio, gangraena, sphacelus, mors; ubi gravior nempe, aut sphinctere stranguletur. Caeterum mucosae sat cito cutis naturam induunt.

215. Similiter vagina vel tota prolabitur, vel parte tantum sui. Similibus fere caussis nascitur et similia mala provocat.

Uteri prolapsus vel imperfectus est, ubi intra vaginam continetur, vel perfectus, ubi extra eandem prominet. Ab hoc differt uteri inversi prolapsus, sive inversio uteri, fundo praevio, qui pariter vel perfectus, vel imperfectus, si extus propen-

deat, dicitur. Ab anatome et physiologia malorum inde natorum petenda interpretatio est. Nec difficulter perspicitur, cur partus abnormis et neglectus a partu decubitus toties hic culpandi.

216. An exophthalmia, blepharoptosis jure huc referuntur? An exocystis?

217. Luxatio, dearticulatio, *ἐξάρθρημα*, est articuli de sede sua in locum alienum decessio, qua motus cohibetur. Eius levior gradus *παράρθρημα* adpellatur, osse nondum plane elapso. Quo etiam distortio referatur, ossium videlicet articulatorum situm et mobilitatem pervertens. Articulus, quo mobilior, eo in hoc vitium pronior. Inde, cur ad humerum longe maxima pars luxationum eveniat, intelligitur. Infert vis mechanica, robur articuli superans, aut huius morbus varius: membranarum, ligamentorum infirmitas, ruptura, horum vel cartilaginum ossiumque ipsorum inflammatio, suppuratio, caries, hydrops, fungus ex diathesi rheumatica, arthritica, rhachitica, scrofulosa; unde luxatio spontanea in articulo femoris, claudicationem creans insanabilem. Hic novum acetabulum formasse naturam, observatum est.

218. Oportet eum, qui de hisce vitiis recte judicare velit, anatomicam tenere articulorum, quorum ingens varietas est, cognitionem, eamque ab osteologia non solum sicca, sed recenti praesertim et topographica partium scientia petere.

219. Utrum recte sub hoc titulo recensentur ossium non articulo, sed symphysi junctorum secessus, quorum exempla prostant?

MORBI ORGANICI PROPRIE ITA DICTI.

220. Laesiones mechanicae solent tandem et vitam plasticam afficere atque, laeso partium mechanismo, earum organismum mutare. Sunt alia vitia corporis, quae ab ipso initio affectam vitam plasticam et organismum mutatum accusant, sive in prima formatione, sive postea. Haec communis morborum organicorum origo, affectionum dynamicarum, multarum laesionum mechanicarum sequela, monstrorum, vitiorum congenitorum, haereditate propagatorum, diathesium, pluriumque in morbos definitos propensionum, caussa maxime vulgaris. Itaque haec uno sub conspectu posita contemplari, ad pleniorem horum morborum intelligentiam perquam fructuosum erit.

221. Vita plastica, in ovulo excitata, corpus organicum, animale, humanum fingit, perficit perpetuo, mutat, organorum seriem certa lege evolvendo, una alteri succedente, adolescente, florente, rursusque marcescente, senescente, emoriente. Sic, continua hâc metamorphosium sese succedentium

serie, vitae historia absolvitur eâque interruptâ fiunt morbi formâ dissimiles, origine et natura simillimi, jam explicandi.

MORBI ORGANICI FOETUS.

222. Genesis hominis a nisu formativo, vitae plasticae specie, repetenda, iisdem, quibus haec legibus moderatur atque sive languens, seu vigens, seu denique a typo deflectens, monstra creat per defectum, excessum, alienationem.

223. Decurrit embryo, in utero matris, plura vitae stadia, quo vitae cursu turbato, nascuntur monstra, ab impedita corporis evolutione, legitima deficiente energeia plastica. Ea, ut fabricam monstrant animalium similem, sic ad vitae epocham remotam pertinent, qua normalis erat, quae nunc monstrosa forma. Haec longe plurimorum monstrorum natalia, propter corporis et organorum evolutionem aut retardatam, aut impeditam.

224. In adumbrando corpore embryonis primo interna viscera fingit natura, dein externis involucris recondit atque bicorporeum animal, parte dextra parteque sinistra sejunctis, in unum cogit corpus symmetrum, relicto ubique pristinae disjunctionis vestigio, dum simul excrescit superior prae inferiori trunci parte.

225. Quae, si, languente vitae energeia, cohibeatur naturae operis perfectio, vel hiantibus, quae coalescere debuerant, tum ossibus: in labio leporino, palato fisso, fissura calvariae, quam hernia cerebri sequitur, spinaque bifida, tum partibus mollioribus: in abdomine fisso, exocystide, hernia umbilicali congenita, tum visceribus internis: cordis foramine ovali ductuque arterioso Botalli, unde morbus caeruleus; vel deficientibus plane partibus; capite, artubus, interaneis, vel parum evolutis: in hydrope cerebri, spinae, hydrocephalo hydrorhachia, monoculis, hermaphroditis, testicondis, vel denique clausis, quas apertas esse oportebat, viis: in atresia ani, urethrae, vaginae; vitia congenita existunt, quorum nec raro plura in eodem corpore juncta deprehenduntur, manifesto indicio, ab eadem caussa organica proficisci, neque mechanicis recte tribui potentiis.

226. Quodsi exuberet, id cernitur in praecoci corporis incremento, ipsius, quae dicitur, duplicitate, foetu intra foetum, numero denique partium excedente. Illud, quamvis cum robore corporis ingenti junctum esse soleat, saepenumero tamen vitae brevitatem praesagit. Hoc si in partibus remotis tantum notetur, turpitudinis magis quam morbi nomine adpellandum, si latius pateat, sanitati obest plurimum.

227. Sin vero aberret vita conformatrix, id in

figurâ partium fit, vel situ. Prioris generis est vasorum morbosa anastomosis, nimia divisio, abnormis confluxus, ortus, funiculi umbilicalis nodi, valvulae loco alieno. Notandae pariter aberrationes in spirandi, digerendi, generandi, sensuum officinis, nervis, musculis, ossibus. Ad alterum genus pertinent: conceptio extra-uterina, obliquitas uteri, incongrua foetus sub partu collacatio, viscerum vel omnium, vel singulorum inversio: unde gravis saepenumero valetudinis laesio, subinde nulla.

228. Ita vitia congenita morbos deinde nascituros et praenotant et praeparant: rhachitidem, scrofulosin, phthisin, apoplexiam, caet. suoque tempore excludunt. Ita caput grande, hepar enorme, artus breves, praesertim inferiores, in rhachiticis, infantilis corporis formam; thoracis angustia, abdomine magno, in scrofulosis, puerilem habitum imitantur, ut serioris etiam aetatis morbi ab hâc prima aetate initium ducant.

229. Verum ulterius rem persequi lubet, et quum tribus partibus membrana germinans, sive blastoderma explicetur, quomodo quaeque in hoc opere deficiens, vitia congenita, monstrosa creet, explanare. In quibus praecipua tantum, nec omnia perquirere licebit.

230. E tribus blastodermatis partibus, duae: serosa et mucosa simul explicantur; in serosa ta-

men pars centralis, initium cerebri simul medullaeque spinalis et cranii spinaeque primo cernitur, ita ut animalis vitae centra primo adumbrentur, et animal in animali sit primogenitum. Hoc naturae animalis in vertebratis et homine primordium, humor est, primum involucro suo inclusus, dein coëuns et solidescens, qua metamorphosi non rite peracta, hydrocephalus, hydrorhachia, aut, provectiori magis evolutione, hydrops cerebri spinaeque, atque impedita simul osteogenesi, cerebri hernia et spina bifida fiunt. Reliquae serosae propagines, integumenta, a latere spinae antrorsum producta, si in media parte non coëant, supersunt fissurae: in capite labium leporinum et palatum fissum, ab osse intermaxillari, nucleo osseo in media maxilla superiori, cum reliquo osse et ossibus palatinis inter se non coalitis atque cute simul hisce locis hiante: in thorace, cuius sternum cicatrix: in abdomine ultimo clauso, cuius cicatrix umbilicus, quo hiante hernia umbilicalis existit congenita, intestinis abdomen suo tempore non ingressis. Pelvi denique non rite clausâ fit exocystis: eiusque incrementum cum viscerum contentorum incremento respondeat, angusta pelvis est atque ossium ischii tubera sibi proxima, recto intestino deficiente. A serosa totus animalis vitae organismus: nervi, musculi, ossa, cutis oriuntur sensuumque officinae, quarum vitia con-

nata is optime intelliget, qui partium totiusque regni animantium, generalia schemata sequentium, animo complexus sit metamorphosin. Docent cyclopes, sive monoculi, membrana pupillaris persistens in oculo, vari et valgi in artubus inferioribus.

231. Ex parte media blastodermatis effiorescit genus vasorum, cuius pars praecipua cor plurimum diversa obfert vitia organica, inde a forma cordis crustaceorum, piscium, usque ad eam, qualis foetui humano maturo est. Primo canalem referens, inde contorquetur in cor simplex, unicum. Tum ab apice inde finditur, sepimento secernitur, et cum sinus tum ventriculi, formantur, aperto foramine ovali ductuque arterioso Botalli, ut sanguis venae cavae inferioris in atrium et ventriculum sinistrum atque inde in aortam adscendentem feratur; sanguis vero venae cavae superioris in atrium et ventriculum dextrum et per ductum Botalli in aortam descendentem veniat. Itaque in parvulo embryone circulatio duplex, per superiorem et inferiorem corporis partem. Sanguis e dextro ventriculo in aortam abdominalem, truncum inferiorem, hepar, membranas ovi fluit, et per venam cavam inferiorem revehitur ad atrium et cor sinistrum. Contra sanguis ex sinistro ventriculo in aortam cerebralem ad caput, spinam, truncum superiorem traducitur et per venam cavam superiorem in dextrum atrium dextrumque ventriculum infundi-

tur. Quae circulatio dein, explicantibus sese pulmonibus, mutatur. Hisce viis non clausis, aut morbo pulmonum phthisico reclusis, fit morbus caeruleus, in quo animalis frigidi sanguinis vitam degit homo.

Atque ex hac evolutionis generis vasculosi historia monstrosae eius formae, quarum seriem protulit Meckelius, intelliguntur.

232. Spirandi organa, utriusque cum mucosae, tum vasculosae tunicae productio, forma lobulari, perennante thymo aliisque vitiis, fabricae animalis, foetalis superstitis exemplar proferunt. Huius totiusque thoracis impedita evolutione diathesis haemoptoica, phthisica nititur.

233. In systemate uropoïetico et genitali, quae observantur vitia congenita: atresiae, uterus bicornis, cryptorchismus, hernia scrotalis congenita pariter ex horum organorum genesi repetenda et animalium formis illustranda.

234. Caeterum fortunatus eventus, quo hucusque hoc studium metamorphoseos organicae cultum est et ingens, quo adhucdum colitur, ardor spem faciunt rerum maximarum et melius in dies cognoscendae historiae vitae.

DE MORBIS VITAE PLASTICAE NON CONGENITIS.

235. Constat corporis vita perpetua particularum compositione ac decompositione, quae in partibus durissimis aeque ac mollissimis accidunt. In hunc unum corporis alendi sustentandi finem, uti vitae plasticae munia conspirant cuncta, ita huic functioni, quae in corporis penetralibus facta, recte naturae mysteriis adnumeratur, aliquam lucem affundit genesis embryonis et partium vulneratarum sanatio, ab eaque quocunque modo laesa, tanquam a fonte ac principio communi, morborum organicorum origines ducendae sunt.

236. Hi vel excessu, vel defectu, vel depravatione existunt: hypertrophiam, atrophiam, paratrophiam vocant; bene nutrito corpore, euexia, male contra, cachexia oboritur. A nutritionis opere vigente, torpente cohaerentia, robur physicum, laxitas, atonia, debilitas, in aliis partibus alia proveniunt. Nam particularum sub eodem volumine comprehensarum numero firmitas, durities, cohaesio partium definitur, ita ut cohaesionis vitia ad vitam plasticam morbosam revocare oporteat.

DE HYPERTROPHIA CORPORIS ET PARTIUM SINGULARUM.

237. Suus corpori eiusque partibus est crescendi, decrescendique a natura modus constitutus, alio vitae tempore, sexu, conditione, alius, quem ultra citraque rectum consistere nequit. Praecox corporis prima aetate incrementum, quod praematura comitari solet pubertas, aeque naturae finibus adversatur, ac nimis tardum; et in partibus singulis, tum nimia nutritio, tum justo parcior ipsarum munera magnopere pervertit. Oportet alia organa crescere, nutriri plurimum, alia aetate, decrescentibus, marcescentibus aliis, ita tamen, ut servetur semper suus organismi puerilis, feminei, senilis habitus singulaeque partes et toti congruant corpori et officiis suis obeundis pares sint. Quamobrem sanus ac legitimus nutritionis modus ex symmetria corporis, ex usu partium, ex sana earum fabricatione metiendus est, multumque differt et corporis et partium eius habitus, ut differt vitae ratio, corpori partibusque tributa. Haec cuivis aetati, sexui, vivendique mori peculiaris, peculiarem requirit nutritionis modum et gradum cohaesionis a molli cerebri medulla ad durissimam substantiam ossium, quae reliquis mollibus

partibus fulcro et stabilimento data sunt.

238. Hypertrophia illa dicitur vitae plasticae luxuries, quae functionibus, naturae lege exsequendis, obest. Haec aut in corporis universo habitu, aut in singulis partibus fit. Prior incremento corporis nimio, sive in longitudinem, sive in latitudinem, sive in utramque cernitur. Posterior peculiaria organorum systemata, aut elementa anatomica occupat.

239. Incrementum corporis in longitudinem nimium ipsius habitum efficit tenerum, gracilem, quem haemoptoicum, phthisicum adpellant. Hunc tamen vitae plasticae luxurianti minus, quam deficienti tribueris, nervis cellulosae superioribus. Spinam et artus prae reliquis, tum sceleti, tum interni corporis partibus increvisse, vitamque animalem alteri organicae praecellere, ostendit.

240. In latitudinem increscente corpore fit habitus torosus, quadratus ac thorace, organis vitalibus vasorumque genere plurimum vigentibus, phlogistica inde corporis conditio nascitur, in morbos acutos et chronicos systematis sanguiferi proclivis.

241. Lateris dextri prae sinistro incrementum utrum ab institutione, consuetudine, exercitio, an a constanti vitae lege repetendum, magna dissensio est; ab eo, praesertim modum excedente, plura vitia nasci, nulla est.

242. Magis etiam culpanda systematis, aut organi peculiaris hypertrophia, in aliis crebrior, rarior in aliis, et varia morborum organicorum genera proferens.

243. In tela cellulosa, adiposa, polysarciam obesitatem generat, aetati primae, sexui sequiori magis, quam aut senectuti, aut viris propriam. Sequitur plerumque vitae cursum, eas regiones invadens, ad quas maior sanguinis fit adpulsus: puerili aetate caput et faciem, juvenili pectus, senili abdomen. Junioribus porro maior cellulosae subcutaneae, senioribus internae maior evolutio est. Valetudinis adversae magis, quam prosperae indicium esse polysarciam, declarant signa fractae energeiae, contracta vasorum lumina, languens circulatio, musculorum robur minutum, aliarum functionum torpor, cum hydropicis affectionibus affinitas, nervorum hebetior sensus, uberior cellulosae in morbis vegetatio, una cum adipis secretione aucta. Luxuriat cellulosa in vulneribus, fracturis, fungis, tumoribus: unde carunculae, cicatrices, verum et pleraque vitia parasitica, ut ab ea structurae organicae noviter creatae, aut reparatae initia prima eiusdemque in elementa anatomica resolutae ultimum finem ducendum esse dixeris, quo, quae a communi eodemque simplici parenchymate organorum originem traxerit, in commune iterum parenchyma relabitur.

244. Pariter in textu mucoso, spongioso, erectili, visceribus parenchymatosis, glandulosis observatur, quinimmo in duris licet ossibus, nasciturque, ubi affluxus humorum nutrientium in partem, propter exercitium, irritamentum, morbum augetur.

245. Musculorum hypertrophia ab exercitio est, in athletis, rusticis, bajulis, duro labore victum quaerentibus sequiturque vitae genera et artificia hominum. Musculorum internorum, organicorum, hypertrophia ex similibus caussis nascitur: in corde, ventriculo, intestinis, vesica.

246. In nervorum genus raro hoc vitium cadit, cuius exemplum obfert funesta primae aetati hypertrophia cerebri: unde comata, paralyses, mors apoplectica. Alia, nec satis perspecta apoplexiae neonatorum, nuper descriptae, origo est.

247. Atrophia constans ferme senectutis fatique senilis comes, morbis nervosis, phthisicis se jungere solet, cellulosam, viscera, vasa, cutim, musculos, ossa, nervos afficiens, nec morbosa semper, vitae plasticae: ex defectu actionis, senio, pressione mechanica, incitata lymphaticorum absorbtione, morbo, languenti, turbatae, oppressae, debetur.

248. Cellulosae atrophia ab inediâ, inanitione, evacuatione quâcunque, aut secretione nimiâ, humorum defectu, dyscrasiâ, pravo corporis habitu,

morbo acuto, longo, senectute denique matura, praematura; rectius notis, quam caussis adversae valetudinis adnumerari potest.

249. In musculis otio torpentibus, paralysi tactis, exercitationis defectum atrophia sequitur, ut hypertrophia eiusdem excessum. Praeterea in morbis phthisicis, hecticis, et fibrae decrescere videntur et robur musculorum.

250. Ubi nervorum genus atrophiam patitur, aut mechanica laesio accusanda est, aut affectio dynamica. Haec marasmi senilis origo, quae ab homine nervoso initium ducere atque universum inde corpus: cellulosam, viscera, vasa, musculos, sceletum ipsum invadere consuevit. Capillorum canities, defluvium, dentium lapsus, cutis, rugae sensuum hebetudo, apathia, somnolentia, mortis somnum tardo, sed certo gradu obrepentem, denotant, uno post alterum obdormiscente partium systemate, genitali primum, animali dein, postremo denique vegetativo, homine externo ante internum hominem extincto.

251. Aliarum partium excedens, aliarum deficiens magnitudo oeconomiae harmoniam atque concentum organorum turbans multiplex recondit seminiorum genus, nec raro corporis habitu externo se prodit, morborum futurorum, aut nascentium perito indicans principia occulta.

252. Magnitudo cavitatum earumve capacitas

increscit, sive aucta nutritione: ab irritamento quocunque, sive debilitato, fracto ipsarum tono, rursusque decrescit ex caussa mechanica, dynamica. Incrementi activi exemplum offert cordis eurysma activum, passivi atonia ventriculi; decrementi a caussa mechanica vesicae collum calculo obturatum, aut prostatae tumore pressum; a caussa dynamica: contractio subitanea, lenta intestinorum vasorumque ex spasmo, frigore, inediâ. Utque prioris vitii continua ad rupturam, sive rexin, ita alterius ad coalitum progressio est.

253. Caussae et effectus utriusque vitii tantopere discrepant, ut vix uno sub conspectu poni possint. Est ubi propter auctam vitam plasticam ipsamque phlogosin cavum vel augetur, vel minuitur; est ubi sublatum aequilibrium contentorum humorum et parietum continentium in culpa est. Saepe vel spasmus, vel paralysis tunicae musculosae sphincterumve accusanda. Saepius aliorum morborum symptoma, sequela, productum magis, quam morbus dicendum. Nec minus differunt, qui inde nascuntur effectus, ex partium fabrica, situ, functione, nexu variis demum intelligendi. Vitia dilatationis angustiaeque morbosae canalis cibarii, vasorum, systematis uropoïetici, genitalis, sic explicanda, nec praetermittendae alterius ex altero origines multaeque eorum successiones, vicissitudines, complicationes ei, quicunque istum pa-

thologiae Gaubianae locum de morbis solidorum continentium, rite et adcommodate ad emendatam, qua jure merito gaudemus, theoriam medicam exponere cupiat.

254. Vitia formae, uti spinae, capitis, pelvis, artuum, partim primae formationi turbatae cohibitaeque, partim ligamentorum, musculorum, ossium affectionibus, partim denique morbis ex cachexia debentur et tum demum morbosa adpellantur, quum vitae sanitatique nocent; secus turpitudinum numero adscribenda, a perfecto pulchritudinis typo aberrantium.

255. Aberrans, aut a typo sanitatis deflectens vita plastica organorum fabricam mutat, pervertit, novaque struit organa morbosa, parasitica, in detrimentum vitae communis, aut propriae partium.

256. Huius loci sunt: membranae spuriae, osteogenesis praeter naturam, organorum diversi generis metamorphoses morbosae, tum ad textuum naturalium normam compositae, uti formatio cellulosa, vasculosa, membranacea, spongiosa sive erectilis, fibroso-cartilaginea, ossea, pilosa, cornea; tum ad novum typum creatae, uti tubercula, scirrhi, carcinomata, fungi, aut, quae ab organismo sejuncta sunt, concrementa anorganica ipsaque animalia, entozoorum nomine dicta.

257. Atque hoc commune morborum organico-

rum schema, quorum universales maxime formae ac genera jam in singulis, tum telis, tum organis et systematibus organorum paullo plenius explananda, initio facto a vitiis cohaerentiae tonique partium.

DE COHAERENTIA LAESA.

258. Ad organi cuiuscunque integritatem, qua muniis suis exsequendis idoneum evadit, certus requiritur particularum contactus mutuus et illa simul vis attractionis, ut apte inter se cohaereant.

259. In tanta varietate organorum vitaeque munerum plures multumque discrepantes fore cohaerentiae gradus, quisque facile praevidet et, perspecta corporis fabricatione, intelligit. Quodsi aetatum, sexuum, temperamentorum, vitae generum discrimina notentur, huius quoque dotis ratione ingentem esse latitudinem sanitatis, neque ejusdem communem modum constitui posse, non eget longae orationis.

260. Quamobrem eundem cohaerentiae gradum nunc naturalem, nunc praeter naturam esse, nec vitia excessus, aut defectus, nisi ex symmetria reliquarum corporis partium dijudicari posse, recte censetur.

261. Cohaerentia nimia, excessus toni, hyperto-

nia, rigiditas, durities, in aliis alio alioque nomine vocanda, a caussis multum diversis proficiscitur, nec semper veri roboris indicium. Idcirco cohaerentiae excessus distinguere ab invicem oportet.

262. In musculorum genere robur sanum, legitimum, tonus adpellatur eiusque excessus hypertonia, cui ex adverso opponitur atonia. Observatur hypertonia in corporibus duro labore exercitatis, aetate praesertim adultiori. Nec dispar ratio et origo hypertoniae particularis. Inducitur maxime musculorum exercitio et provocato exinde vitae plasticae nutritionisque in iisdem excessu. Conjungi cum hoc vitio solet fibrinae in sanguine exuberantia, diathesis rheumatica, in rheumatismum proclivitas.

263. In cellulosa, membranis, cute, tendinibus, textu fibroso, cartilagineo, osseo quae obtinet nimia cohaerentia, a vita quidem plastica ducitur, nec semper tamen excedente illa. In cellulosa, cute, membranis subinde hypertoniae nomine dicenda, ab uberiori nutritione auctoque molecularum numero, attractione, contractilitate organica nascitur adeoque parenchyma organicum nimis nutritum nimiam suscipere materiae alibilis copiam indicat. Saepe morboso fit nutritionis processu: congestione, inflammatione, secretione abnormi. Callus, sive substantiae corneae in systemate cutaneo, mucoso, ubi teneram tantum epidermidem exqui-

sitior tactus exigit, praeter naturam formatio, osteogenesis morbosa in textu fibroso, cartilagineo, substantiae calcariae in ossibus ubertas ac procul dubio etiam erysipelas neonatorum et induratio telae cellulosae, nuper cognita, huc referenda. Rigiditas partium senilis, senilium ossium durities et pulsus durus senum nutritionem morbosam magis, quam vigentem accusant. Haereditas, vitae genus laboriosum, alimenta dura validioris materiae, solidorum prae humoribus multitudo, temperamentum athleticum, cholericum, melancholicum huic vitio favent, a quo nec ipsa cerebri medulla immunis.

264. Est praeterea, ex praeclara Gaubii voce, in ipsa vitae sanae, etiam moderato tenore fluentis, duratione tacitus quidam, at jugis ad corporis rigidationem progressus, quem tuto effugere nemini licet: cum autem natura, in organis ad sua quaeque munia aptandis roborandisque inde ab ortu perpetim operosa, primaevam illorum mollitudinem densando, paullatim mediae aetatis firmitatem, cuique parti consentaneam, induxit; eodem opere, dum vita durat, continuato, utique necessum est, nimia tandem compactione rigiditatem inferri; quae idcirco naturalis senectutis comes, fatique senilis lege inevitabili consecuturi prodromus.

765. Subnascitur inde multiplex circuitus humorum, motuum sensuumque impedimentum. Nec

sola mobilitas mechanica in partibus praeter normam rigidis et duris, sed vitae etiam internae vigor, secretio, excretio, nutritio ex duplici caussa decrescere debent, ex fluidi ad vitam necessarii inopia, et turbato solidorum humorumque aequilibrio vitali. Quapropter in senibus decrepitis sensus, calor, turgor vitalis indies magis magisque deficiunt.

266. Justo minor cohaesio pariter, atque huic opposita justo major a partium diversitate diversa nomina trahens, nunc communi magis debilitatis, nunc proprio laxitatis, atoniae, gracilitatis, teneritudinis, mollitieï designatur.

267. Debilitas universe dicitur: materiae solidum componentis cohaesio tam parva, ut subire motus nequeat, quos vitae sanitatisque munera exigunt.

268. Nec tamen sanum habetur corporis robur, quod stricto tantum vitae generi respondeat, medicos errores non ferat. Ea hominibus ad altiora natis, inque magna perpetuaque rerum vicissitudine constitutis, Dei munere, contigit sanitas, quae non quibuscunque, levioribus etiam, delictis statim labefactetur, ne aut perpetuo ex corporis valetudine aegrotet animus, aut corpori servire cogatur.

269. In partibus musculosis atonia est, in cellulosis, membranaceis laxitas, in partibus duris osseis flexilitas, in cerebri nervorumque medulla molli-

ties. Tenerum gracile ponit magnam organorum sensilium, irritabilium mobilitatem et huic impar motuum vitalium robur, aucto igitur sensui et stimulorum perceptioni fibrarum tonum minime respondentem. Cunctis hisce debilitatis generibus subest nutritionis vitaeque plasticae sive deficiens vigor, seu ratio abnormis. Laxitatem comitari solet succorum prae solidis copia, sanguis sero abundans, aut et nimia adipis generatio. Tenerum gracile infert saepenumero citum nimis corporis incrementum, nec huic conveniens idonea humorum alibilium elaboratio. Descrescunt singulae partes pressione aliave caussa, lymphaticorum absorbtionem incitante. Defectus exercitii, vita deses, otiosa, victus humidus, calor humorque atmosphaerae, balnea calida, tepida, ac reliquae, quae corpus infirmant potentiae, huic vitio favent.

270. Cogitanti, quot quantisque morborum periculis partium solidarum vita objiciatur quamque numerosa ipsis tributa sint munera, quae nisi a robustis rite impleri nequeunt, huic infirmitatis vitio multiplicem subesse aegrotandi opportunitatem, liquebit.

DE METAMORPHOSI ELEMENTORUM ORGANICORUM MORBOSA.

271. Vita plastica luxurians et deficiens uti partium hypertrophiam et atrophiam, sic deflectens, aberrans paratrophiam partium creat, qua in formas novas mutantur, facta metamorphosi morbosa elementorum organicorum.

272. Metamorphoses istae morbosae duplicis generis sunt: vel ad typum factae normalem, sed loco alieno, vel ad typum novum prorsus, a norma recedentem. Ad prius genus, homoioplasiam vocant, pertinent metamorphoses partium in cellulosam, fibrosam, osseam texturam; ad posterius, heteroplasiae nomine dictum, tuberculosa, scirrhosa, fungosa, cum nullo alio contextu organico comparandae.

273. In cellulosam, commune partium parenchyma, redeunt otio torpentes maleque nutritae partes, aut ex iis inflammatis prodit, specie pseudomembranarum. Musculi in cellulosam mutantur inertes, tumore pressi, ferro discissi. Inflammatione cellulosa in membranis serosis, mucosis creatur; unde concrementa organica, quae canales liberos obturando, novis vinculis praeter naturam partes vinciendo, earum diversimode impediunt, perver-

tunt officia. Exemplo sint pleurae cum pulmonibus, peritonaei cum visceribus abdominis connexiones, membranae in trachea, intestinis, urethra, aliis. Hac in vulnerum, fracturarum, laesionumque universe sanatione, partiumque reproductione utitur naturae vis medicatrix.

274. Huic analoga metamorphosis adiposa, in musculis, corde, visceribus, glandulis, ossibus animadversa. E tumoribus lipomata huc pertinent; et ad cellulosam formationem universe tumores cystici et polypi, quorum illi ad serosam, hi ad mucosam membranam aliquantulum accedere videntur. Tumores cystici alii sponte existunt, alii heterogeneo stimulo sanguinis, calculi, globi aliusque corporis, intus haerentis, nascuntur. Cystides serosae et hydatides, quae sub hoc genere comprehenduntur, ab invicem distinguendae. Ad illas referunt hydropes cysticos, in variis corporis regionibus; cellulosae pariter naturae est membrana pyogenetica, ab Huntero aliisque descripta.

275. Metamorphosis fibrosa, tendinea in arteriis, venis, synovialibus membranis, musculis, ossibus a vulnere, ligatura, fractura, phlogosi, rheumatismo, in ancylosi rheumatica, luxatione non reposita, patella fracta abunde cognita est, soletque substantiae cartilagineae, osseae viam sternere.

276. Metamorphosis ossea, abundante materie

calcarea in ipsis ossibus senum, cursu aetatis, ad naturam inanimatam accedentibus cernitur, tum etiam in scrofulosi, phthisi, syphilide, arthritide, a simili materiae calcariae augmento, unde periostoses, exostoses, tophi, arteriarumque, quae dicitur, ossificatio, et membranarum fibrosarum, serosarum, synovialium, tendinum, ligamentorum, cartilaginum, ipsarum quoque pseudomembranarum, quam ancylosis, sive articuli immobilitas, curvatura spinae, circulationis aliorumque vitae munerum impedimenta sequuntur.

277. Textus erectilis praeter naturam luxuriat in naevis, teleangeiectasia, quae dicitur, tumoribus varicosis, fungosis, fungo haematode, haemorrhoidibus.

278. Cutaneae metamorphosis exempla sunt in cicatrice vulnerum, mucosis prolapsis, inversis, cutis naturam pedetentim induentibus. Metamorphosis mucosa in fistulis, herniis, tumoribus nonnullis cysticis; pilosa in hisce et ovariis, quae et dentes saepe recondunt; cornea denique in clavis, verrucis, squamis, cornubus, ichthyosi, quae et hereditaria visa est, conspicitur.

279. Metamorphosis heteroplastica, sive ea, in qua ad novum typum formantur partes, complectitur tres potissimum formas: tubercula, scirrhos, fungos. Metamorphosis lardacea, tuberculosae species; carcinomatosa, vel scirrhi exitus, vel fun-

gosi generis est. Superest melanosis, quae sanguinis vitio oritur. Emollitio denique organorum sive, ut oppositum vitium, phlogosin sequitur, sive structurae organicae liquescentis est resolutio spontanea.

280. Tubercula sunt corpora rotunda primum, dein lobulata, coloris albo-grisei aut fusci, variae magnitudinis, nunc cystidibus inclusa, nunc libera in parenchyma organorum deposita, nunc conglomerata, quae nullam obferunt organismi speciem atque in omnium ferme parenchymate organorum reperiuntur: in cellulosa subcutanea, submucosa, subserosa, musculorum, arteriarum, in glandulis lymphaticis, pulmone, hepate, liene, cerebro, renibus, ossibus caet. In cellulosam deposita, aut interdum copiosius infusa haec materies premit propriam partium substantiam, quae inflammatione, absorbtione, suppuratione, verbo atrophia, aut phthisi perit et longo morbo aegros ad certum exitium trahit. Tria distinguunt morbi stadia, in primo cruda, duriora sunt tubercula, in altero emolliri incipiunt, in tertio, suppuratione facta, liquescunt atque ulcere, abscessu, vomica omnis structura organica deletur et evanescit.

281. Scirrhus, forma lobulari, compacta, semipellucida, duritieï saepius fibrosae, cartilagineae, interdum mollioris, lardaceae, duas habet substantias: alteram opacam, fibrosam, areolatam, recondentem alteram, pellucidam, corneam. Deinde emollescit, in

materiem cerebriformem, sive encephaloideam excrescens, scirrho in carcinoma mutato. Inprimis invadit organa glandulosa, parenchymatosa, textum erectilem, systema lymphaticum, genitalia, oculum, linguam; extenditur per viciniam loci, telam cellulosam, vasa lymphatica, omnique humorum massa contagione virulenta infecta, cachexiam infert carcinomatosam, macie, oedemate, febre hectica proprioque vultus colore, morbi organici lethalis indice, distinctam.

282. Ut scirrhus et carcinoma magis serioris aetatis est, et annorum climactericorum, sic fungus medullaris junioris est magis, puerilis, juvenilis. Tumor mollis est, circumscriptus, elasticus primum, dein liquescens, quo materies continetur lardo, pulpae cerebralis, liquamini similis; tumores istos lobuli formant, tela cellulosa tenui vincti, intertextis vasculis numerosis, tenerrimis. Color ipsius substantiae varius: albus, griseus, ruber, niger. Tria pariter stadia decurrit morbus; initio glandulae conglobatae speciem refert, altero mollior fit, infantis cerebro similis, tertio liquescit. Sive cystide continetur, sive in massas coït, sive in textum organicum infunditur. Analysi chemica gelatina, fibrina, albumine constare deprehenditur: illa in principio, hoc ultimo stadio copiosiori. Nulli telae, organo, systemati parcens, hepati, omento, mesenterio, glandulis, pulmonibus, testicu-

lis, utero, oculo, cerebro, nervis maxime infestus est; subinde laesione externâ suscitatur, semper tamen ab occulto corporis habitu primam originem trahit. Sedem in capillaribus et parenchymate organico figens, embryonis ad instar evolvitur, propriam degens vitam, in detrimentum organismi materni, quo nomine tum fungus, tum carcinoma a tuberculo, aut alio quocunque vitio heteroplastico differt.

283. An latens quaedam horum vitiorum analogia et progressio notanda, ac, quemadmodum in blastodermate tres discernunt tunicas: mucosam, serosam, vasculosam, sic ab hisce vel seorsum, vel conjunctim, modo, compositione, ordine, loco diversis, vegetantibus, jam polypi existerent, lipomata, cystides, jam tubercula, scirrhi, carcinomata, fungi? An tumores retroperitoneales, a spina oriundi, analogiam hanc cum embryonis genesi probant? Sane si ulla sperari possit horum vitiorum parasiticorum legitima interpretatio, ab ipsâ speranda est corporis embryonis formatione iisque legibus, quibus et nascuntur, et nutriuntur partes.

284. Supersunt duo vitia commemoranda, utraque nascentem secuta dissolutionem organicam, alteram sanguinis, alteram partium solidarum; illam melanosin, hanc emollitionem, malaciam adpellaverunt.

285. Melanosis telas et organa nigredine tingens,

a sanguinis, crasi mutati, inque contextum organorum effusi, vitio oriunda, nutritione depravata: marasmo, atrophia, hydrope factis, aegros occidit. Senibus magis propria, tam molliores, quam duriores partes, immo ossa durissima occupasse visa est.

286. Emollitio, malacia, in membranis mucosis, fibrosis, visceribus parenchymatosis, hepate, liene, utero, corde, cerebro, ossibus praesertim fieri solet, ab organorum elementis dissolutis. In ventriculo gastromalacia, in ossibus osteomalacia, in utero putrescentia adpellatur, et per deuteropatheiam: morbo phlogistico, haemorrhagico, purulento, et per protopatheiam, nec satis adhucdum cognito nutritionis vitio provocatur; utrique suae notae, sua ratio, suus decursus, utinam et sua auxilia!

287. Atque hae sunt praecipuae aegrotantis vitae plasticae species, quibus omnibus commune est, quod a perfecto illius typo aberrent, quod alienae sint, quod organismi laedant integritatem, eo magis metuendae, quo longius ab organismi structura, symmetria, harmonia, compositione abfuerint. Periculosissimae illae, quae, parasitorum adinstar, propriam vivunt vitam, organica vincula solventes, vegetatione sive centrali, sive peripherica, a systemate capillari arterioso, aut venoso initium sumente. Similibus legibus morbosa, ac sana vita plastica regitur. Nervorum, vasorum, sanguinis vita, compositione, mixtione laesis, alio modo nu-

triantur partes oportet, ut commotione, ictu, contusione, dyscrasia, cachexia nata esse ista nisus formativi monstra, mirari desinas. Formam eorum variam definiunt elementa, e quibus nascuntur et fundus, sive humus, in quo crescunt, quo fit, ut a cellulosa cystis, a mucosa polypus pullulet germinetque, in cute varix, in textu erectili fungus sanguifluus, in glandula scirrhus, in fibrosa os creetur, ac nova quaeque metamorphosis novas formas pariat. Neque in hisce quoque novis partibus desideratur naturae legum aequabilitas, quippe quae omni vivendi, aegrotandi, moriendi ratione cum iis partibus conveniunt, ad quarum similitudinem ipsas conformaverat natura.

DE CONCREMENTIS INORGANICIS, CALCULOSIS IN CORPORE.

288. Arcta metamorphoseos morbosae, hactenus explanatae, cum concrementis calculosis, inorganicis ab una parte, cumque parasitis vivis ab altera parte affinitas hoc loco de iis dicere jubet, prius de inorganicis, ad tubercula, hac sua natura, accedentibus, postea de organicis, entozois, vitae dote parasitis fungosis quadantenus similibus, longe minus tamen oeconomiae humanae funestis.

289. Humoribus corporis elementa insunt ter-

restria, inorganica, salina, in crystallos facile concrescentia, ubi locum et sedem offendunt idoneum, cui inhaerentes adcrescant. Elementa ista, quamdiu humoribus soluta circumvehuntur, neque expelli, nec coire solent, quam primum vero vel in partes alias deponantur, vel in cavitatibus stagnent, quibus abundant particulae, secedunt inque concrementa inorganica solidescunt. Videtur huic lithogenesi in corpore vivo favere tum peculiaris sanguinis, ab ingestis acidis, aut cibo animali nimio, dyscrasia, tum mutata atque saepius aucta organorum secernentium vita, subphlogistica, phlogistica nimirum ipsorum conditione nata. Nullae fere corporis cavitates ab hoc vitio immunes, in mucosis praecipue, ad dentes, in ductibus salivalibus, canali cibario, cystide fellea, renibus, ureteribus, vesica urinaria reperti calculi, humorum secretorum partiumque diversitates sequuntur.

290. Tartarus, qui antiquitus dicebatur, dentibus accretus, vel in ductum salivalem Whartonianum depositus, phosphate calcis maximam partem et muco constat, ac brevi satis tempore nascitur; ductui inhaerens, tumoris speciem creat: ranulae nomine dicitur; molestus magis, quam periculosus, facili opera, sectione calculi, tollendus.

291. E bile qui succrescunt calculi, chololithos vocant, in hepate, ductibus, cystide fellea multum diversae formae et magnitudinis, ut plurimum de bi-

lis adipe et materia colorante, mutatis illis, facti, cardialgiam vomitus, dolores colicos, spasmos et icterum subinde periodicum, obturata bilis effluxurae via, concitant. Calculi hepatici, in parenchymate hepatico, nigri, grumosi, de bile inspissata esse videntur; aut cystide inclusi: hi numerosi, margaritas referunt, aut in poris, sive biliariis ductibus, canali hepatico eiusque ramis, vesicula fellea, eius ductu, in canali denique choledocho communi reperiuntur. Qui in ductibus hepatico, cystico, choledocho haerent, forma ovali sunt hasque vias magis minusve claudunt. In cystide fellea vel unus tantum calculus major, magnitudinis interdum ovi gallinae, vel plures, subinde minimi, centeni. Color quoque varius est: albus, griseus, semidiaphanus, punctis crystallinis, flavus, bruneus, niger, variegatus; forma striata, lamellaris, corticalis, complanata, stratis aliter aliterque sibi invicem impositis.

Duplici maxime substantia formantur: materie flava, colorante bilis, et cholestearina; haec partis resinosae bilis morbosa permutatio est, adipoceram antea vocabant, quae ab organorum bilem secernentium mala valetudine proficiscitur, mucosae praesertim, ac languente circulatione abdominali.

Quae in ductu pancreatico reperti sunt calculi, coloris albi, forma irregulari, de carbonate calcis facti sunt.

Intestinorum lapides bezoardici, partim phos-

phatibus, praecipue phosphate calcis, partim materie adiposa, resinosa, adipocerae simili, constant, pariterque mucosae intestinalis aegrotantis morbosa secretione nascuntur. Inde alvi obstructio, neuralgiae abdominales, fixae, vagae, digestionis turbae, sensus tumoris duri, difficulter movendi in colo, dolor recti, ubi in ipsum concesserint, nisi ulceraverint antea et perforaverint intestinum, vomituve fuerint ejecti. Aegagropilae concretiones sunt, pilosum ad nucleum factae.

292. Calculi urinae in omni parte systematis uropoïetici, praesertim vero in vesica haerentes, sive in hac ipsa formari incipiunt, sive e renibus in vesicam delabuntur, sive ad corpus peregrinum tanquam nucleum concrescunt. Figura varia, rotunda, ovalis, complanata, polyedra; magnitudo a parva faba ad ovum usque gallinae et ultra, pondus etiam et numerus varius est, et color flavus, albus, griseus, niger, et superficies, quae aut aequalis, levis, aut aspera, tuberculosa, et compositio e pluribus stratis: formâ, extentione, pondere, duritie, structura, colore variis. Calculorum renalium et vesicalium quatuor imprimis elementa sunt: acidum uricum eiusque composita, oxalas calcis, oxydum cysticum, aliis cystinum et phosphata terrestria, ita ut diathesis urica et oxalica diathesin phosphaticam utplurimum antecedant, calculisque ex acido urico, aut oxalico in re-

nibus creatis et ad vesicam, ut fieri solet, delapsis accedant strata a phosphate calcis. Creantur calculi ex urina sana, morbosa, ad nucleum, tanquam centrum lithogeneseos. Semper mala subest systematis uropoïetici valetudo, protopathica, deuteropathica, sympathica, inflammatoria, spastica, atonica, quâ et muci et urinae minuitur, pervertitur secretio, affecto hoc ipso, canali cibario, systemate cutaneo, osseo; et quemadmodum morbi mucosi productum, sequela, symptoma est lithogenesis, pravo victu, aëre, vitae genere nati, sic longe pluris facienda est haec ipsa diathesis, quam calculi mechanicus stimulus.

293. Qui praeter haec in corpore sunt concrementa calculosa pulmonum, venarum spermaticarum, vesicalium, haemorrhoidalium, splenicarum, e phosphate et carbonate calcis atque materie animali praesertim facta, ad nucleum substantiae animalis, sive muci, sive sanguinis, ut urinarii, formari atque a constitutione haemorrhoidaria, arthritica proficisci consueverunt. Tophi arthritici nunc materia animali, gelatinosa atque urate sodae, nunc et illa et phosphate calcis, admixtis aliis, formantur atque observatione detectam cum morbo calculoso affinitatem demonstrant.

DE ENTOZOIS.

294. Vitae dote polypis, fungis, aliisque id generis parasitis similia entozoa, viventes animalium incolae, ultimo loco contemplanda.

295. De quorum genealogiâ inter viros doctos non convenit, nonnullis in corpus vel ipsa, vel ipsorum ovula foras ingredi, aliis in ipso corpore et nasci et crescere illa contendentibus. De hac priusquam statuatur quaestione, brevem eorum historiam tradere lubet.

296. Entozoorum historia naturalis cuivis animantium generi suas esse incolas, suam esse singulis in corpore sedem, quae hominum corpora occupant ad plures diversasque familias pertinere, cysticorum, cestoideorum, trematodum, nematoideorum, docet. E cysticis echinococcus, cysticercus cellulosae, e cestoideis taenia solium et bothriocephalus, sive taenia lata, e trematodis distoma hepaticum, ex nematoideis ascaris lumbricoides et oxyuris, sive ascaris vermicularis, strongylus gigas, trichocephalus dispar et filaria medinensis in corpore humano inventa sunt, quae minori majorive compositione partium et fabricae eo ordine differunt, quo hic enumerata sunt, ut echinococcus omnium simplicissimum animal sit, de

quo an animal dici possit, olim dubitarunt, et ab hoc compositione fabricae plurimum distent nematoidea: ascaris tum lumbricoides, tum vermicularis et huius generis reliqua: trichocephalus, filaria caet.

297. A morbis parasiticis ad animalia parasitica transitum faciunt tumores cystici et ipsi partes organicas: pilos, dentes conformantes. Hisce affines hydatides, seu potius entozoa cystica, e quorum genere cysticercus et echinococcus sunt. Sequuntur taeniae, distomata, ascarides, quorum hi non ad gelatinosa radiata, sed ad alterum animalium articulatorum, sive annulatorum pertinent typum et sexus distinctos habentes et ganglion filaque nervea. Minus perfecta praecipue in cellulosa ac parenchymate viscerum, perfectiora in systemate mucoso intestinorum, renum et cutaneo praesertim haerent; cystica (quorsum hydatides, nec tamen omnes referunt) in cellulosa musculorum, cerebri, ventriculi, abdomine, eius visceribus, maxime hepate; in renibus, pelvi, ovariis, sed etiam in pectore pulmonibusque. Taenia tenue intestinum, aliarum gentium bothriocephalus latus; aliarum taenia solium, tametsi nec desunt utriusque speciei in eodem corpore contubernalis exempla; distomata hepar et cystidem felleam, strongylus gigas renes, lumbricus, sive ascaris lumbricoides tenue, trichocephalus dispar, ascaris, sive oxyuris vermicularis crassum intestinum, ille coecum prae-

sertim, hic rectum incolunt, quibus sedibus relictis, ubi aliorsum migraverint, gravissimas nervorum turbas movere solent, quae antea concitaverant nullas, unde quae tenent, eorum loca natalia et habitacula naturalia haud immerito creduntur.

298. Reputanti, entozoa singulis animantium generibus propria, singulisque vel locis in corpore, vel organis, alibi, praeterquam in corpore, non reperiri, neque vivere: in foetu etiam habitare aliquando et reconditis maxime locis; peculiarem ipsis fabricam esse, vitae generi adcommodatam; corpore relicto, obrigescere et mori, eorum verosimilior videbitur sententia, qui *generatione spontanea* nasci contendant. Molecularum alibilium in naturam animalem sive corporis partisque nutriendae similem, sive disparem metamorphosis, nunc corpus alendo, nunc corpora aliena procreando, vel assimilatione, quae dicitur, proderit organismo, vel contraria ratione, entozoa generando, nocebit. Polyporum partus et regeneratio rei obscurae lucem affundunt, praecipue si virorum doctorum observata, circa genesin horum vermium primo telae, cui innata sunt, adhaerentium, inde ab ea pedetentim secedentium ad propriam vitam degendam, pluribus observatis firmentur. Caussae vermium: aetas, victus, aër aliaeque rerum internarum, externarum conditiones ipsorum generationi faventes, corporis diathesis,

morbi socii, ipsa arma, quibus quamfelicissime oppugnantur, ex hacce, de spontanea horum animalculorum genesi conjectura, omnium facillime explicantur.

299. Mala, quae plurima ab iis repeti solent, spectant partim laesam digestionem ac nutritionem, partim genus nervorum irritatum partiumque consentientium affectus sympathicos. In hominibus temperieï nervosae, corporis imbecillioris, mobilioris, numerosa, in robustis, minus facile movendis, interdum nulla sunt, adeo ut non facile dixeris, utrum corporis magis aegrotantis, an vermium in corpore nidulantium phaenomena haberi debeant; nec mirum sit, tot tantasque inter viros doctos de morbis verminosis agitatas esse controversias, quas tamen critice sanior quam optime componet. In quibus componendis notandum etiam est, ut in morbis calculosis, ita in verminosis aegrotare ipsas, quae concrementa ista tam terrestria, quam animata proferunt includuntque, partes.

300. Quodsi jam istos morbos organicos in organis utriusque vitae persequamur eorumque genera summa leviter perstringamus, in singulis singula inde nasci vitia videbimus, quae ut hunc de morbis organicis locum absolvamus, breviter adhuc indicanda.

DE MORBIS ORGANICIS VITAE VEGETATIVAE.

301. In canali cibario praeter vulnera, ulcera, hernias, prolapsus, hypertrophia tum mucosae, ex inflammatione, tum musculosae, in polyphagis, rursusque emollitio, seu gastromalacia, scirrhus, carcinoma, fungus, in parenchymate nutriente, entozoa denique, mucosae inhaerentia, inprimis obveniunt. In hepate: abscessus, hydatides, cyrrhosis sive granulatio, fungus medullaris, calculi, hydropis icterique caussa subinde; in liene, cum alia: hypertrophia, induratio caet., tum emollitio praecipue, intermittentium pertinaciorum pedissequa, congestionis, emphraxeos, hypertrophiae, phlogoseos interdum exitus, ubi morbi vis, relictis aliis nervi sympathici provinciis, in splenicum plexum se conjecerit.

302. Respirationis officina, sanguine vasisque abundans, congestionis atque inflammationis sequelis: apoplexiae, abscessibus, vomicis, concrementis membranaceis patet, neque a calculoso vitio tuta est, aut vitae plasticae erroribus: steatomate, carcinomate, fungo.

303. Cor hypertrophicum, atrophicum, eurys-

maticum, apoplecticum, pilosum, polyposum, osseum fit, alio alioque loco, ex morbo protopathico, deuteropathico, phlogistico, plastico, atonico, hydropico: in corde ipso, pericardio, valvulis, arteriis, pulmonibus, aetate infantili, juvenili, senili, eventu vario, saepius infausto, ob nobilitatem visceris. Arteriarum aneurysmata, vera, spuria, dilatatis, aut ruptis tunicis, arteriarum laesiones organicas testantur et mutatam texturam. Istud vitium osteogenesis ex phlogosi, humorum affluxu uberiori, hypertrophia, antecedere solet; interdum nutritionem morbosam ex diathesi, dyscrasia, senio denotat. Senibus propter aetatem nata, minus obesse, quam junioribus; illis tamen gangraenam senilem, suffocato sanguinis motu, induxisse legitur. Venarum a phlebitide abscessus, ex hypertrophia dilatatio, ex prava nutritione ossificatio, emollitio, uti et calculus hoc loco notandus. Vasorum capillarium telcangeiectasia, fungus haematodes, sed et alter medullaris, carcinoma, et quidquid monstrosi vis cacoplastica pariat, quorum parenchyma partium eiusque vasa nutrientia fontes recte et habentur et dicuntur, huc pertinent. Vasa lymphatica, ex phlogosi acuta, chronica, abscessum, hypertrophiam, ex diathesi morbosa, dyscrasia scrofulosa metamorphosin tuberculosam subeunt, sive in cellulosa ambiente, sive in proprio con-

textu ac glandulis humores injectos nunc admittentibus, nunc recusantibus.

304. Systema uropoïeticum similibus atque canalis cibarius obnoxium est vitiis: renes hypertrophiae, calculo, ulceri, phthisi, entozois, carcinomati, fungo, emollitioni; vesica hypertrophiae aut mucosae, aut muscularis, quae deuteropathica saepe, ex hypertrophia prostatae; unde dysuria, ischuria, calculus, mors.

305. Ex generationis apparatu ovaria et uterus in feminis, testes in viris praecipua vitiorum organicorum sedes. In ovariis tumores cystici fiunt, partes liquidas, solidas, organicas, foetus disjecta membra, reliquias, includentes, hydatides, hydrops; in utero metamorphoses homoioplasticae: polyposa, fibrosa, cartilaginea, ossea; heteroplasticae: scirrhus, carcinoma, fungus, emollitio, sive hysteromalacia et abscessus, phlebitidem uterinam in puerperis secuti, quam, una cum multis disparibus valetudinum generibus, communi, ast vago febris puerperalis nomine adpellant.

In testibus metamorphosis fibrosa, ossea, tuberculosa, scirrhosa, carcinomatosa, fungosa, cuncta uno etiam sarcoceles, nomine pariter indefinito, dicta; in epididymide, quae aut unica, aut prima morbi sedes, ex inflammatione chronica, syphilitica, alia, metamorphosis tuberculosa, carcinomatosa, fungosa, quarum priorem, natura partis

sterilis marasmo, ars ipsius ablatione curasse legitur, posteriores nullam curam recipiunt.

DE MORBIS ORGANICIS VITAE ANIMALIS.

306. Ossa, musculi, nervi, vitae animalis organa, priora si excipias, minus pati vitia organica deprehendes, quam quae alteri vitae famulantur, membranae, glandulae, viscera, digestionis, nutritionis, secretionis instrumenta.

307. Articulorum morbi: rheumatismus, hydrops, arthritis, ancylosis, illi dynamici, hi organici, illi ad priorem, hi ad posteriorem hanc morborum classem revocandi sunt.

308. Arthritis, textum fibrosum, cartilagineum, osseum occupans, morbo calculoso cognatus, et alternas cum eo vices servans, inque articulos deponens concrementa ossea, perversa secretione uratis sodae et phosphatis calcis, hoc uberiori, illud parciori copia habentestophos arthriticos creat, quibus articulorum motus laeditur, eo maxime loco, quo maior tritus, in ossibus metatarsi, praecipue pollice pedis. Ab arthritide probe distinguendus tam rheumatismus articulorum, quae inflammatio synovialis, quam detritus cartilaginum articularium, ab eadem hac inflammatione, nimio motu suscitata,

nec non corpora peregrina, cartilaginea, ossea, libera, cystide inclusa, articulorum cava occupantia, motum impedientia. Ancylosis, cuius varias species discernunt artuum, trunci, capitis, topica aut magis universalis: formae motusque vitia efficit, luxationem, fracturam, arthritidem, tanquam caussas accusans praecipuas.

Reliqua ossium vitia: arthrocace, spina ventosa, emollitio, fungus, in scrofulosi, rachitide, carcinomate, a celluloso parenchymate textuque medullari imprimis efflorescente nascuntur, in detrimentum ossium, compressione, absorbtione pereuntium, materia nova morbosa pristinam, sanam de loco suo pellente ac detrudente.

309. Praeter rheumatismum, musculorum morbum dynamicum, seu potius phlogosin cellulosae fibras musculares ambientis, saepius in lymphae plasticae secretionem, rariori exemplo, in rheumatismo puerperali, in suppurationem atque abscessum transeuntem, praeter phlebitidem musculosam, praeter apoplexiam activam, passivam, atrophia, hypertrophia, metamorphosis cellulosa, adiposa, fibrosa, cartilaginea, ossea, cystides varii generis, tubercula, carcinomata, uti et entozoa cystica, quorum omnium sedes est in cellulosa musculorum, morbos harum partium, hucusque detectos, qui huius loci sunt, comprehendunt.

310. Cerebrum hypertrophiam, atrophiam, hy-

dropem, haemorrhagiam, abscessum, emollitionem patitur. Tuberculis, fungo, a cellulosa, dura matre, cranio, premitur, irritatur, inflammatur, ulceratur. Vitio congenito, hydrope liquescit, aut qua parte: haemisphaerio, cerebello, deficit atque a symmetra forma deflectit, mentis organo laeso, idiotismum congenitum faciens, quo deletur in homine humanitas. In medulla spinali pariter haemorrhagia lentior, promptior, capillaris, alia, abscessus, hydrops, emollitio, aliaque vitia artuum motum, sensum tollentia accidunt, inducta paralysi imperfecta, perfecta, lethali. Nervorum morbi organici et paucissimi et vix cogniti. Interdum in ipsa medulla sanguinis infusi vestigia visa sunt; interdum metamorphosis fibrosa, fibroso-cartilaginea observata gangliorum nervi sympathici, orta ex elemento fibroso, celluloso, quo substantia horum gangliorum grisea vasculosa et fila nervea, ipsam permeantia, compressa, atrophia atque absorbtione perierunt.

DE MORBORUM ORGANICORUM GENERIBUS SUMMIS: HYPERTROPHIA, ATROPHIA, PARATROPHIA.

311. Memoria repetenti, quae de morbis chroni-

cis hucusque dicta sunt, in tantâ eorum multitudine mira videbitur originis similitudo, ut ad hypertrophiam, atrophiam, paratrophiam, vitam plasticam nempe luxuriantem, torpentem, aberrantem possint revocari universa.

312. Hypertrophia partium multum saepe detrimenti capit reliqua oeconomia, quod ipsâ efficitur succos alibiles avocando, vicina organa premendo, eorum absorbtionem concitando, aequabilitatem vitae pervertendo. Ea si parenchyma cellulosum teneat, vel redintegrat partes vulnere, fractura, laesas, vitae plasticae molimine salutari, vel creat novas, in perniciem utplurimum priscarum. Vitae ab aetate mutationes, quas congestiones in partes mutandas comitantur, nonnullorum organorum prae reliquis exercitium, irritamenta morbosa, in hoc vitio explicando plurimi facienda. Ex eo crescit magnus diathesium morbosarum numerus, morborum compositorum germina ferentium.

313. Atrophia decrescunt, pereunt partes inutiles, inertes, paralyticae, luxuriante parenchymate celluloso pressae, lymphaticorum actione absorbtae. Sic moleculae organicae propriae evanescunt ac locum cedunt novis, in novo parenchymate, tanquam humo fertili, satae et germinantes.

314. Haec paratrophia, sive nutritio abnormis est, in qua hypertrophia, novaeque materiae genesis eo se excipiunt modo, ut parenchyma cellulo-

sum, vinculis suis laxatis, expandatur, laete excrescat, exuberet, fiat hypertrophicum, quo facto prematur primum, deinde atrophia atque absorbtione deleatur propria organi, parasito oppressi, substantia, simulque parenchymate suscipiatur materies nova, aliena, unde metamorphosis organi morbosa, vix perennis ipsa, partis mutatae, vicinarum, corporis universi tabem inferens. Sic, magis magisque a perfecta vitae specie aberrans, corpus sinu recondit ac fovet vitam peregrinam, cum qua organismi harmonia, concentus, constare nequit, aut servari ipsius integritas.

MORBI COMPOSITI.

315. Atque haec summa est affectionum simpliciorum, quae elementa continent morborum, quos cernimus, compositorum.

316. Hi, ab affectionibus simplicioribus diversimode junctis oriundi, tot partes habent, quot istarum affectionum concursu nascuntur, in hasce resolvuntur, his demum intellectis intelliguntur ipsi, nec harum ulla tolli mutarive potest, aut iis adjungi nova, quin morbi, quem componunt, natura quoque mutetur.

317. Unde generatim quidem triplex hic locum habet compositio, prout aut sensus motusque mor-

bi inter se, aut sensus cum vitae plasticae morbis, aut motus cum iisdem jungantur, facto morbi dynamici atque organici connubio. Posset et quartum genus addi, nimirum morbi ex laeso sensu, motu, nutritione compositi. In quam distinctionem tamen animadvertendum est idem, quod in antiquiorem illam, morborum solidorum, fluidorum, secum invicem diversimode copulatorum, eam a ratione magis, quam a natura petitam esse, quae nullos ferme profert morbos, quin habeant aliquam trium vitiorum mixturam.

318. Forsitan magis fructuosa, et ad usum adcommodata foret ea morborum compositorum distinctio, quae ab organis organorumque systematibus aegris petitur. Haec, ut ipsa compluribus elementis componuntur: cellulosa, membranis, nervis, glandulis, humoribus, diversimode intertextis, mixtis, sic organismos efficiunt minores, ex quibus demum conjunctis magnus ille corporis organismus constat. Haec prima compositionis morborum origo. Altera sympatheia est, quâ arctiori cognatione elementa organica, organa ipsa, eorumque complexus, sive systemata inter se continentur. Utriusque originis ex acutorum genere febris, ex chronicorum phthisis exempla praebent. Gastricae febres, biliosae, mucosae, ex morbo gastrico, bilioso, mucoso, cum morbo vasculoso existunt; nervosae, intermittentes ex hoc et morbo

nervoso. In phthisi quâcunque et partis aegrae morbus est, et atrophia corporis, inprimis cellulosae et dyscrasia sanguinis et hisce adjungi solet febricula hectica, id est morbus vasculosus. Sic, morbo adolescente, increscit vulgo morbi compositio, cuius notas ac characteres dabunt munera partium laesa, quorum auctus numerus auctam indicabit morborum compositionem, quorum numerus decrescens eorum testabitur increscentem simplicitatem.

319. Oportet eum, qui in hisce dignoscendis feliciter versari cupiat, simplices primum discere affectiones, cauteque, hisce probe perspectis, ad compositarum adscendere notitiam, ideoque minime supervacanea censenda est simpliciorum contemplatio, quae compositorum scientiam parit. Id quo plenius cognoscatur, agite, qua venimus, viam repetamus, transeuntes ac perstringentes leviter summa morborum simpliciorum genera.

320. Itaque phlogosis mucosae intestinalis, cum motu sanguinis aucto, febrim pituitosam vernalem creat, quam, si et musculus intestinalis convellatur atque uberior sit muci secretio, vomitus, diarrhoea mucosa comitabuntur. Mucosa pulmonali similiter affecta, cum febre et laesa cutis functione, catarrhalis nervosa est. Ex arteriarum cum febre phlogosi et plethora biliosa febris ardens veterum, sive causus biliosus nascitur, qui, non incitata

hepatis actione, alteram ardentis speciem, etiam a veteribus animadversam, facit.

321. Erethismus nervorum cum febre nervosam versatilem, narcosis febrilis nervosam lentam profert, cui, quum a principio contagioso nascitur, typhi tribuitur nomen. Utramque, affecto etiam systemate spinali, convulsiones, spasmi, paralyses comitantur: tremor linguae, vocis, subsultus tendinum, dysuria, ischuria, alvus, urinae involuntariae, deglutitio, respiratio laesa, quam mors brevi sequetur.

322. Morborum chronicorum organicorum haud minor complicatio. Vitia congenita plura saepenumero in uno corpore juncta, plures etiam valetudines aetatis cursu producentia, aliorum organorum hypertrophia aliorum atrophiam faciens rem probant. In scrofulosi impedita generis arteriosi ac spirandi organorum evolutio est, genere lymphatico eminente; hinc imperfecta haematosis, nutritio, secretio, unde plethora serosa, congestio, phlogosis lymphaticorum, metamorphosis tuberculosa, aut, affectis ossibus, rhachitis, spina ventosa, arthrocace, trunci, artuum, pelvis prava conformatio, asthma, phthisis, partus difficilis. Aegrotante systemate uropoïetico, calculus renum, vesicae, nephritis calculosa, cystitis chronica, ischuria, arthritis, ancylosis. Dominante sanguine et systemate venoso, morbus cae-

ruleus, morbus niger, icterus, chlorosis, hydrops, prouti aliam aliamque huius systematis provinciam, aliaque viscera tenuerit morbus: cor, ventriculum, intestina, hepar, lienem, genitalia. Pariter scorbutus, ex sanguinis, vasorum, musculorum morbo compositus, plurima corporis munera laedit; et scirrhus, carcinoma, fungus multa simul et dissita loca occupant.

323. Ex brevi hoc conspectu adparet summa eiusmodi analyticae morborum interpretationis utilitas, quae, ubi exposita fuerint morborum a suis cuiusque caussis natalia et morborum tam propria, quam sympathica signa, magis usque adparebit. Quamobrem ad haec transeundum, et primo quidem ad caussas, ex quibus morbi nascuntur.

AETIOLOGIA.

324. Analyticam morborum simplicium expositionem, ab analysi corporis humani organica petitam, nunc synthetica sequatur, qua caussis, quae morbos creant indagatis, enarretur morborum ex remotis principiis origo.

325. Remota ista morborum principia duo sunt: alterum caussam praedisponentem προηγουμένην, seminium, opportunitatem adpellavere, alteram caussam occasionalem, προκαταρκτικὴν, potentiam no-

centem. Illud, quod aegrotandi facultatem quandam, communem, propriam, aut etiam a naturae modo recedentem significat, nonnulli recentiores *femineum* dixere; hoc, quod priori accedens, morbum generat, *virile* in morbo procreando principium, ductâ a generationis negotio comparatione.

326. Qua certe comparatione nulla est magis ad rem obscuram illustrandam idonea. Ut vita sic morbus oritur, duplicis generis principiorum congressu, quem sequitur conceptio, generationis modo sive spontaneae, seu similaris; huius morbi contagione nati, illius caeteri quicunque exemplo esse possunt.

327. Latent namque in corpore quam plurima morborum seminia, nec pauciores praesto sunt rerum ambientium, admotarum, ingestarum potentiae nocentes, quarum cum seminiis copula, morbosa proles gignitur.

328. Morbum quam primum conceperit corpus, spontanea illius fit evolutio, ad quam perinde est, utrum caussae, quae suscitaverant externae persistant, an evanescant. Inflammatio ab aura frigida corpore calente suscepta, hâc licet remotâ, perstat.

329. Evolvitur, ut foetus in corpore matris; cum eo cohaeret, eo nutritur, inque eo vitam degit foetalem, ab organismo materno perfectione distans plurimum.

330. Ponit igitur seminium potestatem in corpore procreandi vitae formam morbosam eamque evolvendi, ubi potentia nocens huic evolvendae par accesserit.

331. Utrisque opus est concurrentibus, ut morbus nascatur. Neque enim potentia efficax est, nisi in corpus inciderit ei recipiendae aptum, nec seminium in morbum increscit, nisi vi quadam propria excitetur. Distinctionem docuit observatio, non omnes ab iisdem rebus aequâ ratione affici, et valetudinarios idoneo regimine servari incolumes.

332. Mutua insuper amborum requiritur affinitas, ut junctim in eundem effectum conspirent, nec alterum alteri officiat. Non quaevis potentia cuivis seminio evolvendo par est, nec praedispositio datur universalis ad omne morborum genus, uti nec perfectissima sanitas aequa vi sese ab omnibus et singulis insulabribus tuetur. Hinc eadem diathesis alias favet, alias obstat pro diversa potentiae nocentis indole et versa vice, quod uni morbum infert, non item infert aliis et ne illi quidem alio tempore, si diathesis mutata est.

333. Itaque recte Celsus, haec animadvertens: non sequitur, inquit, ut quod alium non afficit, aut eundem alias, id ne alteri quidem, aut eidem tempore alio noceat. Possunt enim quaedam subesse corpori, quae vel in alio non sunt, vel in

hoc alias non fuerunt, eaque per se non tanta, ut concitent morbum; tamen obnoxium magis aliis injuriis corpus efficiant. Etiam illud sciendum, nihil omnino ob unam caussam fieri, sed id pro caussa adprehendi, quod plurimum contulisse videtur.

334. Haec seminiorum potentiarumque nocentium doctrina, tam late patens ad omnem omnino pathogenesin deque morborum originibus locum, a multis hodie perperam neglecta, innumeris erroribus, qui medicorum mentes obsident, tollendis aptissima, eos a multis opinionibus pravis liberare magnasque lites componere posset.

335. Character formaque morbi, affinium principiorum congressu procreati, interdum seminio, interdum potentiâ nocente magis definietur, interdum utrisque aequabiliter mixtis et temperatis, non aliter ac proles alterutrum parentum, aut utrumque referet.

326. Etsi universum corpus morborum caussis pateat, sunt tamen quaedam illius partes, quae ante alias rerum externarum vim noxiam experiuntur. Haec atria morborum, quorum praecipua sunt membranae mucosae internae, externae, sive cutis utraque; quod meminisse summae est in prophylactica medicina adhibenda utilitatis.

337. Praecipue vero attendenda statio est, quam in regno organico universe, inque organismo quo-

vis tenent corpora partesque singulae. Illa quo altior, eo plurium morborum capax vel corpus, vel pars est. Testantur collatae cum animalibus perfectioribus plantae, cutisque accessoria organa: epidermis, ungues, pili, cum sensuum officinis.

338. Crescit scilicet cum organorum numero, numerus morborum, ut ex iisdem, ex corporis partiumque structura magis minus compositâ, ex vitae ipsius ratione probabiliter hic possit computari.

339. Quot igitur elementa organica, tot seminia morborum, ac quotuplex vivendi, totuplex aegrotandi in corpore modus; quamobrem homo et perfectissimum animalium et, nisi sapiens, maxime valetudinarium.

340. Istis caussis remotis caussa morbi proxima nititur, quam utriusque generis principiorum congressus foecundus continet. Ulterius haec explicaverit nemo; nam, ut vitae caussa proxima, latet, ac quaecunque de ea disputare solent pathologi, minus ipsam, quam morbi naturam spectant. Haec privatio jure dici, aut sanitatis defectus nequit, verum conditio vitae aliena, organismi finibus opposita, nataque hinc vita duplex, aut multiplex in uno eodemque corpore, quâ eius harmonia, aequabilitas, integritas tollitur, ita ut in omni valetudine adversâ, factâ discordiâ vitae,

imperium in imperio exoriatur ac tamdiu de principatu certetur, donec vel morbus extinctus sit, vel corpus ipsum.

341. Quum vero pluribus conditionibus vita constet, plures etiam in morbo jungi solent, quarum crescente numero crescit, decrescente declinat, quibusque mutatis mutatur et ipse.

342. Hoc posito principio, intelliguntur morborum origines lentae, subitae, incrementa, paroxysmi, remissiones, periodi, mutationes, perfectae, imperfectae sanationes, status denique convalescentiae, aut neuter, in limine prosperae adversaeque valetudinis ambiguus haerens.

343. Quare, ut morbi natura et genesis indagetur, oportet eum resolvere in simplices, unde natus est, conditiones easque quid seorsum, quid unitae valeant examinare. Quae res ardua quidem, sed cum perutilis, tum medico dogmatico pernecessaria.

344. Itaque cognoscenda est omnis aegrotantium historia vitae summaque religione quaevis perquirenda, quae vel in aegro, vel circa aegrum acciderint, ut ideo Celsus, cum par sit scientia, utiliorem tamen esse medicum amicum, quam extraneum recte arbitratus sit.

345. Ea propter plenior requiritur naturae istorum principiorum cum seminiorum, tum potentiarum cognitio, ut mutuae ipsorum affinitates, repugnantiae, actiones, affectiones perspiciantur.

346. Atque sic demum methodo synthetica pervenitur ad morbi originem atque naturam cognoscendam, ut eadem per methodum analyticam inventa comprobari, aut error in alterutro argumentandi genere admissus detegi ac corrigi possit. Illud contemplationis est, hoc observationis opus, quae amico foedere junctae veritatem et scientiam pariunt.

347. Quodsi jam pridem animadversum est, nihil omnino ob unam caussam fieri, sed physicas effectuum quorumvis corporeorum caussas in universum nunquam aliter, quam concursu duplicis generis principiorum existere idque praecipue in seminibus plantarum ovisque animantium manifestissimum esse, ecquis mirabitur, nos auctorem gravissimum Gaubium in hisce principiis denominandis explicandisque ducem secutos esse, quandoquidem tanta est origine tenus naturâque plantarum et animantium cum morbis similitudo.

348. Ob rei igitur dignitatem paullo diutius in utriusque principii generibus explicandis versari liceat, seminiis primum, tum potentiis nocentibus.

DE SEMINIIS MORBORUM.

349. Distinguuntur, nec immerito seminia in naturalia eaque vel communia, vel propria, et prae-

ternaturalia, quae majorem minoremve ponunt a sanitate deflexum.

350. Seminia naturalia communia vocantur conditiones secundum naturam in homine cum ipsa vita ac sanitate necessario nexae, quibus fit, ut corpus humanum non quarumvis potentiarum impetui resistere eoque nomine etiam naturaliter ad morbos dispositum dici queat.

SEMINIA MORBORUM NATURALIA, COMMUNIA.

351. Horum praecipua sunt: vitae ab externis rebus mutabilitas, partium corporis teneritudo, mollities, structura subtilis, nexus, situs, cohaesio, compositio, conformatio facile turbanda, humorum copia, crasis, motus variabilis, superficies cutanea, mucosa, nocivis potentiis patens, genus nervorum mobile, toto corpore intextum, una cum tenerrimis pariter mobilibusque reticulis vasorum, vis vitae valde sensilis, fugax, functionum omnium ac singularum commune principium in motibus harmonicis positum, mirabilis in corpore vitaque omni partium consensus, conspiratio, antagonismus, hominis prae reliquis animantibus artificiosa summeque composita perfectaque fabricatio; mutua denique mentem inter et corpus certis legibus ad-

stricta societas adfectuumque communicatio.

352. Natura hominis ita comparata multiplici potentiarum nocentium vi objicitur, ut hominem tot tantisque malis obnoxium esse, reï perito mirum videatur nemini.

SEMINIA MORBORUM NATURALIA, PROPRIA.

353. Praeter communia ista morborum seminia, alia sunt cuivis aetati, sexui, temperamento, homini propria. Complures illae nimirum, quas una sanitas comprehendit, vitae formae ad singulas quaeque inclinant proclivitates, quas singulatim notare oportet.

354. Et primo quidem ea notanda ad morbos proclivitas est, quam aetas efficit: foetus, infantis, pueri, adolescentis, adulti, senis. Hisce enim periodis describuntur numerosae ingentesque non minus, quam mirandae mutationes, quae junctae unam continuamque constituunt vitae hominis metamorphosin, a prima inde origine ad finem usque perennantem. Quod ut rite intelligatur, hominem ab utero ad sepulchrum comitabimur.

355. In utero materno, unde vitae historiam ducimus, divinum corporis artificium tacite inchoat, adumbrat sensimque perficit natura, prima futuri

hominis stamina nectens, deducens, torquens. Formato primum animalis nervosi primordio vasorumque initiis positis, humo plastico increscunt lacteque germinant membranae, systematum atque organorum elementa et involucra; aliaque post alia organa prodeunt. Haec prima formatio evolutioque impedita et a norma ac lege aberrans monstra parit ac vitia congenita, nisus formativi erroribus imputanda.

356. Infanti in lucem edito gravia plurimaque imminent vitae discrimina, a mutata protinus vivendi ratione rerumque externarum potentia, unde alia circulatio, respiratio, digestio, hepatis, cutis functio et natae hinc apoplexiae, asphyxiae, dyspepsiae, aphthae, icteri, erysipelata atque induratio telae cellulosae.

Una cum dentium lacteorum proventu ad cibum duriorem manducandum, subigendum aptus fit infans, novisque objicitur periculis, a mucosae intestinalis, pulmonalis, nervorum vasorumque turbis primariis, secundariis, sympathicis: unde irritatio, congestio, inflammatio, febris, tussis, diarrhoea, spasmus, convulsio multiplex, quarum aliae activis symptomatibus, aliae naturae moliminibus, postea explicandis, adscribendae.

Nec minus periculosa illa aetas est, quâ fari aut stare gradique gestit infans, mente eiusque instrumento, cerebro ac fronte explicatis, artuumque

firmata compagine, uti docent sensorii communis, sensuum, musculorum laesiones mechanicae, turbata ossium nervorumque aequabilis metamorphosis in rhachitide, absorbentium in morbo scrofuloso. Quibus si diatheses haereditarias adnumeres, mirari desines, non aliam aetatem mortalium generi magis funestam esse.

357. Pueritiae tempore continua est versus humanitatem progressio. Decrescente jam vita vegetativa, animalis magis magisque efflorescit. Cum organis vitalibus eorumque muniis sese explicantibus pari passu procedit musculorum, nervorum, cerebri vita, atque in nervos organicos et ganglia dominantur cerebrum et sensoria. Ingens mobilitas, hilaritas, observandi studium, vis memoriae hanc aetatem insigniunt. Minor obesitas in vultu omnique habitu conspicua, auctae secretiones pulmonum, cutis, renum, catarrhi, morbi mucosi, verminosi, calculosi, nervosi, spasmodici, febriles, exanthematici, rhachitidem, scrofulosin, aliosque lymphaticorum nutritionisque laesae affectus excipiunt: ac novi simul ordiuntur partium consensus.

358. Adolescentia pubertatis aetas est, quae sui conservandi studio non continetur, sed ad procreandum impellitur. Sic qui unus erat homo, aut esse videbatur, jam in sexus discedit, in marem et feminam et amor nascitur ab egestate et connubii

cupidine. Jam pectus latescit et expanduntur pulmones et vox sonora fit et musica, jam respiratio plenior, jam validiores fiunt cordis arteriarumque ictus, jam pudicitiae colore amabili suffunditur vultus. Imberbi juveni barba pullulat, maturae virgini mammae sororiare incipiunt tacitique inchoantur genitalium cum pectore consensus. Hinc morbi genitalium, pectoris, acuti, chronici ac latens in corpore phthiseos seminium erumpit. Haec aetas romantica, phantasia imperante rationi.

359. In feminis praesertim, quarum omnis vita amore continetur, haec aetas quamplurimis malis obnoxia. Minor pectoris et organorum vitalium, quam abdominis partiumque, quae hisce includuntur, evolutio, venarum prae arteriis, cerebri nervorumque prae musculis energeia, cur sensus antecellat motui, cur nisus plasticus irritabilitati musculorum, declarat.

In vita organica chlorosis, in vita animali hysteria et multiplex catameniorum turba indeque moti spasmi, convulsiones, aphoniae, epilepsia, catalepsis, congestiones, plethorae topicae, sanguinis profluvia, ab hac metamorphosi gravissima vel impedita, vel abnormi oriuntur.

Nec minor post coitum foecundum organismi feminei permutatio, quo, inflammato utero adque novam vitam ex diuturno somno suscitato, ingratae, sensiliorum praesertim in corpore, sensatio-

nes multaque affectio sympathica, summa denique mobilitas animi. Tunc nisum formativum in omne corpus dominari testatur sanguinis habitus phlogisticus, turgor vitalis, plurium morborum sanatio, aut remissio, ab aliis immunitas, uterini denique systematis vegetatio et torositas mira, in musculi robur increscens, quo foetus maturus eiusque secundinae expelluntur, sublato dynamico inter foetum et uterum connubio. Post puerperium, quo tanquam stadio critico, a graviditate ad statum non gravidum transit mulier, uterus in somnum pristinum relabitur, mammis novi hominis alendi munus suscipientibus, quo peracto abundantem sanguinem menstruis periodis excernunt uteri vasa ac denuo ad concipiendum apta fit femina, donec tandem emoriente systemate genitali, foecunda esse desinit viroque similior facta, senescit.

Omnes hae vitae femineae epochae quanquam sanitatis limitibus includuntur, suis tamen singulis ad aegrotandum proclivitatibus insignes efficiunt, ut ex metamorphosi a typo deflectente alii sint morbi virginum, alii puerperarum, alii lactantium, alii senescentium: a genere nervorum, vasorum, visceribus vitaeque plasticae, aut genitalis instrumentis: sensus affectiones motusque, plethora, congestio, haemorrhagia, inflammatio acuta, chronica, mucifluxus, secretio abnormis,

cachexia, tabes, organica, parasitica harum partium vitia, numerosi denique et mutabiles sympathiae lusus.

360. Aetatis flore, cunctis in corpore laete vigentibus, consentientibus, conspirantibus, vix alii eveniunt morbi, quam quos acquisitos nuncupare solent iique acuti magis, quam chronici, activis symptomatibus, moliminibus, motibus, evacuationibus criticis notabiles.

361. Sic lento, sed certo gradu ad interitum procedit natura. Corporis evolutionem involutio, incrementum decrementum sequitur; albescunt capilli, perit adeps, cellulosa, laetus in facie rubor et turgor, rugae adparent seniles; decidunt dentes, manducatio, digestio, nutritio aegre fiunt, cor, arteriae, ossea interposita materie, tardius micant, capillarium numerus decrescit, spirandi instrumenta anhelant, deficit calor, sensuum officinae clauduntur, cerebrum nervique et musculi et tendines obrigescunt, obdurescunt, emaciantur, curvatur spina, ad tellurem inclinat caput, motus inconcinni fiunt, tremuli, vox rauca, atque vita animali primum, tum organica extincta vivere desinit homo, naturali fato succumbens. Sublata senio partium venustas, symmetria, harmonia, sensuum hebetudines, paralyses, apoplexiae, hemiplegiae, vesaniae, tremores, asthmata, gangraenae, marasmi senum commodam habent intel-

ligentiam, nec difficulter quoque perspicitur, cur morbi tum chronici, tum topici huic aetati proprii.

362. Ad foecundissima morborum seminia pertinent temperamenta, quorum observatio veteribus magni aestimata, sed cum humorum pathologia perperam conjuncta, atque ob id ipsum male neglecta, a naturae tamen studio ducta, medicis in opere versantibus de meliori notâ commendari meretur.

363. Ponunt aliquem a perfectissima symmetria atque harmonia partium deflexum, quo fit, ut unum alterumve in corpore systema organorum in reliqua dominium exerceat iisque imperet, unde varius subnascitur hominum character physicus, cuius magna est, nec perspecta satis in characterem moralem efficacitas.

364. Aliis alia placuit temperamentorum tum interpretatio, tum partitio, ab humoribus, virium vitalium ratione, animi habitu petita. Nobis eam adhibere liceat, quae ab anatome et physiologia corporis ducitur; in quam conveniunt expressae in toto habitu vultuque temperamentorum formae et quas aetates, sexus, naturae locorum, vitae genus moresque hominum corpori imprimunt mutationes, a quibus maxime rebus ingens illa inter homines singulos diversitas proficiscitur.

365. Temperamentum celluloso-lymphaticum, aliis phlegmaticum, abundante in corpore tela mu-

cosa, habitu ipsius pingui, laxo, sensuum hebetudine, motuum tarditate, ignavia, pigritia, apathia, pulsu raro, lento, molli, respiratione debili, tarda, languida, omniumque, praeter digestionem, torpore functionum discernitur. Inclinat in morbos longos, adynamicos, gastricos, mucosos, verminosos, lymphaticos, hydropicos, atoniam, scorbutum, paralysin.

366. Ubi cellulosae vitaeque plasticae antecellit nervorum sensus et ingens mobilitas, existit nervosum, quod dicitur, temperamentum, promptâ rerum irritantium perceptione, crebris nervorum turbis, corporis macie, pallore cutis insigne; unde numerosa surgit neurosium cohors: convulsiones, epilepsia, catalepsis, hypochondriaca, hysterica passio caet.

367. Robusta athletarum, bajulorum corpora, nervis ingenti musculorum massa obrutis, temperamentum Boeoticum obferunt, Hallero dictum, in quo cum magno robore lacertarum muscularium par conjuncta est sensuum hebetudo ac mentis ingeniique stupor, dominante spinae systemate motorio in cerebrum eiusque nervos. In rheumatismum acutum et spasmos tonicos: tetanum, opisthotonum, emprosthotonum hoc temperamentum proclive est.

368. Quodsi vigeat prae reliquis cordis, arteriarum pulmonumque vita, pectore amplo, humeris

latis, laeto cutis, in vultu praesertim, colore, oculis caeruleis, capillis flavis, sanguineum temperamentum est, mente hilari, mutabili, voluptatum quarumvis amantissima, in morbos acutos, inflammatorios, pectoris potissimum, inclinans.

369. Sin vero huic generis arteriosi energeiae magnus respondeat partium solidarum tonus et systematis hepatici vigor, corpore macilento, cute flava, oculis capillisque nigris, animo forti, elato, iracundo, gloriae, honoris, dominandi cupiditate abrepto, cholericum oboritur temperamentum, morbis pariter acutis, magnis, gravibus, febrilibus: hepatitidi, febri biliosae et maniae inprimis objectum.

370. Temperamentum denique venosum, idem quod melancholicum veterum, praecellente systemate venae portarum, pectore abdomineque compressis, corpore arido, exsucco, rigido, cute subnigra, vultu tristi, animo constantissimo, laborum patientissimo, ingenio tardiore quidem, sed perspicaciore, ad magna nato, simul tamen suspicaci, metu, angore, terrore vanis agitato cognoscitur. Hoc morbum dicere, an temperamentum velis, quam plurimorum affectuum chronicorum valde rebellium, abdominis maxime viscerum, haemorrhoidum, morbi nigri Hippocratis, scirrhi, carcinomatis principium est et monomaniae nimis facilem praebet opportunitatem.

SEMINIA MORBORUM PRAETER NATURAM.

371. Multae praeter isthaec temperamenta, quorum diversae pluresque varietates notantur, corporis conditiones sunt peculiares, sive ex prava fabricatione, sive ex vivendi genere, consuetudine, idiosyncrasia, morbis praegressis oriundae, quibus ad alios aliosque prae reliquis morbos disponitur, cuius generis sunt habitus phthisicus, apoplecticus, haemorrhoidarius, arthriticus, scorbuticus, cachecticus, hecticus, alius. Haec sunt, quae seminia praeter naturam dicuntur, rectius morbos in parvitate, morborum rudimenta dixeris, quorsum diatheses occultas, affectiones medias, vitia manifesta revocant quorumque notitia ab iis, quae de morbis simplicioribus antea dicta sunt, petatur. Nec praetereundum tamen hoc loco, horum seminiorum non infimam partem sese externo corporis habitu et forma medico observatori prodere. Qui locus de habitu corporis, seminiorum in ipso latentium et occultorum interprete, quamvis omnium medicinae cultorum investigatione perdignus, nondum tamen rite pertractatus esse videtur.

DE POTENTIIS NOCENTIBUS.

372. Morborum seminia, ut morbos pariant, vi potentiarum nocentium genetrice opus est, quae singulae exponi debent, ut quam efficere quaelibet mutationem possit, ostendatur.

373. Earum, ut vitae sanitatisque, triplex quidem fons est: mens, corpus, res externae, quae, quoniam corpus vita praeditum afficiunt, praesertim dynamicam jure suo postulant interpretandi rationem.

374. Initium fiet a rebus externis, quarum actio sensibus magis manifesta, hinc minus dubia et intellectu facilior.

DE REBUS EXTERNIS, MORBORUM CAUSSIS.

375. Perpetuo virium oppositarum conflictu organismi vita constat, quae iners quiete torperet, immo brevi difflueret omnis, nisi externis rebus adsidue concitaretur.

376. Quod eas aequabiliter componat continuo ac temperet, latens in corpore vis est, quae instinctu quodam motuque spontaneo ad certos fines

agi ducique, omnem vero mentis aciem refugere videtur.

377. Isthoc virium externarum internarumque aequilibrio sublato, morbis aditus januaque patefacta est, sive fracto robore corporis, sive externarum rerum viribus nimio impetu in illud irruentibus.

378. Rerum externarum potentiis prae aliis partibus patent: spirandi organa, canalis cibarius, cutis, genitalia, sensus tum externi, tum interni, quarum partium sui singulis stimuli ab aëre, alimentis, venenis, contagiis; in quibus dijudicandis semper corporis viventis ratio habenda est, ita ut, quod caeteroquin minus noceat, immo prosit vitaeque sustentandae necessarium recte existimetur, ex seminio proprio corporis in potentiam nocentem commutetur et contra, quod prospere valentibus malo foret, valetudinarios juvet.

379. Agunt hae res externae sive mechanicis dotibus, sive chemicis, sive dynamicis, sive psychicis, sive pluribus junctis, quod universis quidem accidit, cum nulla potentia mechanica, aut chemica agat, nisi vitae viribus et actionibus simul affectis, nec irritamentum psychicum corpus moveat, quin huius quoque physica quaedam fiat mutatio. Quapropter nec sufficit mere mechanica, chemica, psychica earum interpretatio, nisi quatenus vitae et organismi legibus congruat.

DE NOCIVIS ATMOSPHAERAE POTESTATIBUS.

380. Oceanus aërius, in quo vivimus, quo circumfundimur, cuius aurâ vitali vescimur, unde sanguis vim ac potestatem trahit omnia animandi, formandi, alendi, multis magnisque vicissitudinibus obnoxius: caloris, frigoris, humoris, ponderis, mixtionis, dotibus varius ac mutabilis, plurium graviumque valetudinum caussa nunc explicanda.

381. Historia atmosphaerae physica, chemica, organica inchoata, neque ob rei magnitudinem facile perficienda, parvam spem facit illius historiae pathologicae plene cognoscendae jubetque, quod experiundo non licet, observando explorare.

382. Calor atmosphaerae plantarum animaliumque vitae amicus, si quadam mediocritate contineatur, incrementum promovet, nervorum sensum acuit, vitam plasticam blande incitat, cutis hepatisque actionem praesertim auget, si nimius nocet, corpus effeminat, nervos emollit, stomachum solvit, coctionem prohibet, somnum aufert, sudorem movet, hepar incendit, mentem hebetat, et ut anima deficiat, ut sanguis prorumpat, ut obnoxium denique morbis pestilentibus fiat corpus, efficit.

383. Veterum haec observatorum placita recentiorum theoremata circa aërum calore expansum, vaporis aquei copia auctum et hinc minus vigentem respirationis atque oxydationis processum, pulmonum denique hepatisque antagonismum interpretantur. Nimii caloris incommoda arcet vitae efficacitate servatus aequabilis et constans calor internus, graduum circiter 96 thermometri Fahrenheitiani (cuius tamen quaedam, a gr. 95—100 intra minimum et maximum, latitudo est) sudoribus maxime concitatis, una cum calore externo increscentibus, ut aliquamdiu ingentem graduum 240—260 pertulisse corpus observatum sit. Medius caloris gradus aliquis inter punctum congelationis et propriam corporis tempaturam prae aliis salubrior; minus tolerabilis, qui hanc aequat, aut superat, in quibus dijudicandis noxis aetatum, naturarum, vitae generum, consuetudinis habenda ratio est, uti et partium, quas ante alias afficit.

384. Nempe non universis hisce par a calore noxa. Humorum in partes externas congestio, a partibus internis recessus, aucta cutis functio, perspiratio, sudor; minor adpetitus, digestio, respiratio, alvi, urinarum excretio, perspiratio interna. Nervorum acutior sensus, musculorum imminutus tonus, et robur, vitae major incitatio, minor energeia, genere nervorum vasorum generi praecellente. En caloris in corpus effectus!

385. Itaque in regionibus et tempestatibus calidis morbi cutanei, biliosi, nervosi, phlegmasiae cutis acutae, chronicae, lepra, elephantiasis, hepatitides, maniae, morborum, ut vitae, celer decursus, saepe cita pernicies, mors ex asphyxia, aut resolutione nervorum, quae cuncta partim ab impedito processu phlogistico, partim ab irritato nimium genere nervorum inprimis pendent.

386. In parte singula sensum excitat, sanguinem allicit, congestionem, inflammationem, erysipelas, gangraenam infert.

387. Hinc sequitur, prodesse calorem corporibus senilibus, torpidis, inanitis, infirmis, ac quibuscunque virium opus est incitatione: at vehementer nocere plethoricis, obesis, gravidis, biliosis, in haemorrhagias pronis, cibo animali potuique spirituoso deditis, praecipue autem generi nervoso, primis viis, pulmonibus, systemati bilioso infestum esse, utque sensum nervorum et vitam plasticam incitat calor, sic musculorum vim infirmare et debilitare motum.

388. Frigus atmosphaerae nervorum sensum obtundit, musculorum partiumque robur, tonum, vim contractilem auget. Incitanti caloris virtuti contraria eius vis tonica, adstringens, roborans, ipsa vitae, cordis potissimum, arteriarum, pulmonumque actione definitur. Decrescit perspiratio externa, increscit vero interna et urinarum alvi-

que excretio et secretio muci et digestio et respiratio et circulatio et calor internus. Hinc hyeme ventres calidiores et appetitus vegetus et alimenti multi, solidi, animalis necessitas; hinc diathesis inflammatoria, hinc morbi phlogistici, rheumatici, catarrhales. Ex nimio frigore, cui vitae vis impar, humorum sanguinisque ab externis partibus repulsio, in partibus internis accumulatio, cutis, musculorum rigor, tetanus, immobilitas, cordis quies, somnolentia, lethargus, mors apoplectica, aut in parte singula, suffocato humorum motu, pallor, livor, gangraena, sphacelus.

389. Ex dictis intelligitur: cur robustis, sanguineis, musculosis, juvenilibus corporibus, motu valido utentibus prosit, cur infirmis, exsanguibus, senilibus contra noceat frigus, cur incremento corporis, foecunditati, reproductioni partium adversetur, cur denique subitae caloris ac frigoris permutationes insuetis incautisque adeo obsint et quae mala efficiant.

390. Aër humidus, multâ gravidus aquâ, pondere et elatere suo minus efficax, cellulosae tonum laxat, musculorum robur frangit, cutis nervorumque vitam infirmat.

Humido frigido pulmonum et cutis perspiratio cohibetur, increscit secretio muci, laeditur absorbtio, torpent sensus, languet virtus musculorum, quare in locis depressis, ad littora maris

catarrhi, rheumata, febres nervosae lentae, morbus mucosus, verminosus, rhachitis, scrofulosis, atrophia, phthisis, scorbutus succrescunt, tanquam propria endemia istis locis genera malorum. Regnante humido calido solidorum, musculorum praecipue vasorumque atoniae nervorum ataxia jungitur, unde habitus externi distentio, sudatio enormis, humorum motus incompositus, vitiata haematosis, virium lapsus, nisus in dissolutionem, morbi putridi, contagiosi, pestilentes.

391. Haec ut intelligantur, notandum est, atmosphaeram humidam elatere et pondere minui, oxygenio, propter humorem interpositum, minus abundare, calorem, si frigida simul attrahere, si calida repellere, humore denique bonum fieri electrici fluidi conductorem.

392. Quapropter aër humidus aetati tenerae, sexui femineo, corporibus laxis, humidis, phlegmaticis inimicus.

393. Universe longe salubrior siccitas, maxime si caloris excessus abfuerit; humidis praesertim corporibus, minime vero strictis, rigidis, torosis, quibus sanguinem exagitat ac creat inflammationes. Quamobrem etiam ventorum quorumdam siccitas, praecipue aquilonis et subsolani maximopere est pertimescenda.

394. Pressio atmosphaerae, licet ingens, ab omni tamen parte aequabilis, quaeque interni

aëris et vaporum elatere compensatur, perpetua oscillatione varians ac diversa pro locorum situ alto, depresso, tempestate sicca, humida, ratione ventorum, indice barometro, aucta humores interiora versus repellit, minuta exteriora versus revocat, unde plethora ad volumen, sanguinis profluvia, anhelitus, dyspnoeae, molestior aëris tenuioris inspiratio, languor, lassitudo, sensuum torpor, vertigo, quod in montium cacuminibus altisque atmosphaerae regionibus experiuntur peregrinatores; idemque ad superficiem telluris, ingruente tempestate, asthmatici. In singulam partem directa, perflatum vocant, spasmos movet, congestiones et affectus sympathicos in partibus consentientibus.

395. Exinde medicorum observationes interpretandae: nocere aërem levem pulmonicis atque asthmaticis, vulnerum cicatrices, fonticulos, clavos instante tempestatis vice dolere, arthriticorum dolores exasperari, homines nervosos futuram tempestatis mutationem praesentire, humilem barometri stationem, diu perstantem, nervosam sequi diathesin, altam vero, phlogisticam, nunquam felicius restitui aegrotantes, quam sudo effulgente coelo alteque in baroscopio stante mercurio, lentissime contra convalescere, dum nubilus perflat ac pluviosus auster; porro tempestate procellosa

apoplexias factas fuisse epidemicas et quae sunt id generis alia.

396. Etiam chemicis dotibus nocere aër potest; qua de re tamen hucusque parum cognitum est. Principum enim virorum observatione constans ubique locorum inventa est ratio oxygenii ad azoton, vel in locis hominum respirantium multitudine refertis quodque de arctiori laxiorive principiorum atmosphaerae vinculo alii fabulantur, eo magis dubium est, quia non chemica, sed mechanica ratione haec principia juncta esse, recentior chemia docuit. Magis vero variabilis gas acidi carbonici copia et in aëre rariori gas oxygenium magis diffusum, aut, multo vapore interposito, dilutum.

397. Aër purus, qualis est in locis altis, montosis, caeteris saluber, phthisicis et haemoptoicis perniciosus, congestiones pectoris, haemoptysin, pleurae, pulmonum inflammationes acutas, chronicas et tabem creat pulmonalem.

398. Aër impurus, vaporis aquei plenus, in locis depressis, maritimis ipsoque mari his longe salubrior, contra corporibus laxis, debilibus, nervosis minus proficuus mala nervorum et diathesin scorbuticam provocat. In cloacis vetustis impurus aër inspiratus temulentiam capitis, suffocationem mortisque periculum intulisse legitur, nisi tempestive adhibeatur aëris purioris medicina.

399. Huius etiam loci est aër multorum hominum exhalationibus inquinatus, nec probe renovatus, aut ventilatus in theatris, navibus, carceribus angustisque habitationibus, unde febres putridae, nervosae, carcerum, nosodochiorum, gangraena nosocomialis, cuius tamen indoles chemica hactenus latet.

400. Magis evicta est et nota aëris acidi carbonici, stomacho amica, pulmonibus inimica potestas, quam testantur prunarum vapores conclavibus inclusi, asphyxia et morte subitanea ex veneno necantes, nec non rupis prope Neapolin, quae grotta del cane dicitur, cellaeque vinariae, aliae, ubicunque locorum fermentatione vinosa gas istud copiosum exspirat seseque per aërem stagnantem diffundit.

401. Rursus obscurior longe vis noxia aquarum stagnantium, unde aër exhalatur palustris, miasmate paludoso gravis, quod alii plantarum et animalium cadaveribus putrescentibus, alii proprio vegetantium generi tribuunt, febrium intermittentium perniciosarum, comitatarum, larvatarum, adynamicarum foecunda funestaque progenie famosum, quales in Italia, prope urbem Romam, in India utraque maximeque Java insula inque terris alluvione natis post inundationes, in patria denique nostra, post solis aestivi ardores, praecipue autumno primo visuntur, quarumque ab

antiquo inde tempore crebra sub nomine pestis, aut febrium pestilentium facta est mentio a rei epidemicae istarum regionum scriptoribus. Harum et plenior nunc, quam antea cognitio et certior post advectum atque adhibitum corticem Americanum sanatio.

402. Denique in metallorum fodinis aliisve locis metallorum venenatorum vapores, aëri inhaerentes, hydrogenium e crateribus montium vulcanicorum evomitum, aut ubicunque aqua sub metallorum oxydatione decomponitur, aut putrescunt materies vegetabiles, animales, extricatum gravissima pulmonum incommoda et ipsius vitae pericula efficiunt. Neque minus variorum corporum pulvis per aërem dissipatus nocet, aut murorum recens structorum, humidorum exhalationes calcareae, nitrosae.

403. Quodsi certum sit ratumque, ut esse videtur, compositum illud, quod vocamus atmosphaeram, praeter vapores aqueos plurimum variantes, ex atmosphaeris constare tribus: oxygenii, azoti, carbonii, non chemica, verum mechanica ratione eâque constante et aequabili ubivis locorum mixtis, peregrina multa sinu recipientibus, iisque multum dilutis ac chemicorum analyses subterfugientibus, neque strata esse aëria super strata posita, ut gas acidum carbonicum fundum petat, hydrogenium in alta evolet, quemadmodum anti-

quior opinio ferebat, sed misceri, ut in oceano, intelligitur, ab oxygenio aut carbonio in atmosphaera sive abundante, sive deficiente morborum communium caussas et populorum valetudinem perperam repeti et proinde multas multorum in huius reï interpretationem factas conjecturas cadere, ut inconcussa stat magni Sydenhami, occultas aëris dotes accusantis sententia.

404. Vis aëris electrica, maior coelo sereno, minor coelo humido, crasso, suâ non destitui in corpora hominum efficacitate, docent mala nervorum, quae debiliores, sensiliores adpropinquante tempestate experiuntur, quamquam et horum non minima pars ab animi commotione proficiscitur. Nec dubium quoque, electricum aërem incitamenti instar agere, quod tamen utrum tanti faciendum, ut constitutionem phlogisticam et febres populares, inflammatorias excitet, quemadmodum quibusdam placuit, extra omnem dubitationem positum non est, quandoquidem hac de re adhucdum non satis liquet. Similiter a fluido electrico repetendum esse ignem e corpore hominis fulguranti ictu prodeuntem, nec non quaedam e spontaneis hominum incendiis, quae memoriae prodita sunt, nonnulli viri docti contenderunt.

405. Corpora coelestia, meteora, climata, anni tempestates, soli diversitas, montes, mare, lacus, paludes, flumina, vegetantia, animalia, subter-

ranea, homines, suam quaeque eo symbolam conferunt.

406. Quocirca difficillimum fuerit, plenam exhibere aëris historiam pathologicam, quum tanta sit multitudo ac frequentia occasionum, quibus et dotes eius et ei admixta peregrina necessario permutari debeant, ut pauci tantummodo huius historiae loci rite sint hactenus explicati.

407. E corporum coelestium numero sol et luna sunt, quorum in atmosphaeram mutandam minime dubiis obnoxia potestas. Ab illius luce aucta, imminuta vegetabilium effluvia varia, hominumque valetudines, insolatio, cutis vitia, ephelides, lichen tropicus, morbi oculorum, leucophlegmatia, cachexia, hydrops, ab huius febrium accessiones in terris tropicis, convulsiones, catamenia mulierum partim observata sunt, partim observata feruntur.

408. E meteoris, ventorum praecipue insignes sunt in mutandas aëris dotes hominumque valetudinem vires. Undas aërias submovendo, agitando, miscendo, vario impetu ac celeritate in corpus impingunt, pulmones offendunt, urgent permuntque fortius, ac si pondus aëris increvisset, maiorem dein aëris copiam corpori admovendo, virium dotumque ipsius efficacitatem augent. Renovant quoque, nec quiete vitiari sinunt tum aërem, tum aquas. Agitando praeterea miscent inter sese varium varia-

rum regionum aërem, quo dotes commutant, admixta diluunt, diffundunt, distribuunt aequabiliter ac diversimode componunt. Vapores praeterea, miasmata, contagia de locis in loca transferunt, sic purgant, aut inquinant. Nec alia ferme naturae potentia datur aut vi efficacior, aut effectu mutabilior, aut celeritate mutandi fluidi aërii promptior.

409. Ex his quidem satis liquet, ventis boni malique plurimum adflari hominibus posse. Ut autem cognoscatur, quid singuli valeant, haud sufficit, communibus inhaerere, siquidem alio tempore, loco idem salubris et insalubris esse potest. Differunt pro locorum natura unde spirant, per quae feruntur, quo tendunt venti, quarum conditionum computatione demum ipsorum vires, ex vero dijudicari possunt.

410. Venti sublatum ponentes atmosphaerae aequilibrium et temperaturam inaequalem, flumina aëria dicenda, alia in superiori atmosphaerae regione, alia in inferiori; nunc constantes sunt, quorum superiora flumina a calida regione, ab aequatore ad polos, inferiora a frigida, a polis ad aequatorem mota, ingeniosa eaque domestica observatione illustrantur; nunc inconstantes; in regionibus temperatis, aut frigidis. Habet aër ut mare, suum fluxum, refluxum, motum, aestum, qui legibus nondum satis detectis reguntur. In Euro-

pa hyeme fluit aër versus meridiem, vere versus orientem, aestate versus occidentem, autumno iterum versus meridiem, duobus ventis praevalentibus reliquis, africo et borea, qui differunt pro locorum, quae peragrant natura. In nostris terris auster calidus est et udus, a terris calidis oriundus. Boreas a locis natalibus frigus adfert, cum quo convenit eurus. Zephyrus pluvius est nebulosus, maris vaporibus gravis. Pluvius itidem calidusque africus. Caurus vero procellosus, littoribus nostris funestus, levis, humili statione barometri. Horum ventorum longe maximam anni partem occupant, qui ab occidente flant zephyrus caurus, africus. Vere boreas, aestate zephyrus, autumno auster, hyeme eurus maxime regnant.

411. Pluviae in aliis regionibus crebrae, in aliis rarae, aut certis temporibus factae, in tropicis duas anni partes discernunt siccam et humidam, suis quamque morbis notabilem. Etiam in Europae regionibus maritimis depressis, aut altioribus a mari remotis magna diversitas est, tum respectu copiae pluviarum, tum temporum, quibus cadunt, indeque diversa salubritatis ratio.

412. Anni tempora quod attinet, in regionibus temperatis, qualis nostra est, si constantes sint tempestatum vices ac quaeque nomini suo respondeant, frigidum siccum hyemale phlogosin inducet, aucto fibrarum tono et vita maiori energeia in po-

tentias irritantes agente. Vernali calore augebitur usque nervorum imperium, celerior fiet humorum cursus, qui ad superficiem feruntur; hinc aucta cutis actio et aucta pariter eius aegrotandi facultas, unde multiplex efflorescentiae genus, quin et criticae evacuationes, quae plerumque frigida tempestate per intestina et renes fieri solent, jam cutis viam legunt. Calidum siccum aestivi temporis febrem biliosam gastricam, affectiones generis nervosi ac morbos cutaneos profert. Calori vero humiditas si jungatur, pessimum invadet epidemiarum genus putridum, perniciosissimum, vitae omnium infestissimum. Humidum frigidum autumnale coelum et catarrhalis febris et lentae nervosae, mucosae, verminosae parens pertinacisque quartanae et chronicorum, indolis refractariae.

413. Itaque unumquodque anni tempus eiusmodi profert morbi genus, quod cum morbis cuiusque coeli plagae conveniat: hyemale morbos regionum borealium, aestivum regionum tropicarum caet., praeludente corporaque ad mutatam anni constitutionem praeparante intermittentium, cum vernalium, tum autumnalium motu, quae aut in phlogisticam, aut in nervosam magis inclinant indolem ac corporis diathesin ad mutatam aëris temperiem adcommodant.

414. In nostris terris longe maximam anni par-

tem tenet humidum frigidum atque autumnalis constitutio, ac dominantur proinde morbi autumnales gastrici, mucosi, catarrhales, rheumatici. Crebris anni tempestatum vicissitudinibus adsueta nostrorum hominum corpora, hisce minus laeduntur, quam magnis ac diuturnis solis aestivi ardoribus, a stagnante miasmate paludoso male adfecto aëre, id quod in regione alluvione nata marique finitima ac solo depresso, humido, aquarum multitudine abundante, sub coelo nebuloso ita fieri oportet. Quapropter pluviis nobis opus est et imbribus procellisque, miasma praecipitantibus, dispellentibus, aërem purgantibus, novum perpetuo adferentibus, nec mirum tunc inprimis, ab omni memoria, gravissimas hic saeviisse febrium perniciosarum epidemias, summamque hominum stragem edidisse, ubi aestates fervidae maxime diuturnaeque inciderunt; annos humidos vero, pluviosos, imbrosos hisce longe fuisse salubriores, ita ut Hippocratis siccitates laudantis encomia in nostram patriam conveniant neutiquam.

415. Nec praetereunda est dieï noctisque vicissitudo, a telluris circum axem conversione oriunda, varia lucis, caloris, aëris aliarumque virium ratione insignis, quae diversum efficit vitae statum, vespertinam morborum exacerbationem, aliorum paroxysmos matutinos, meridianos, nocturnos, pro partium affectarum discrepantia.

416. Circa clima notandum est, nasci illud a situ locorum, altitudine supra maris superficiem, natura soli, sive arenosa, calcarea, argillacea, sive ex humo, seu mixta, ab aquarum provincia, vegetatione, vicinia maris, lacuum, sylvarum, montium, desertorum. Haec cuncta cuiusque orbis telluris regioni peculiarem imprimunt characterem physiologicum et pathologicum, quo ut flora uniuscuiusque ac fauna destinguitur, sic propria cuivis dignoscitur valetudinum proles, cuius a geographia medica cognitio petenda.

417. Sic locorum natura, coelo, incolis, morbis differunt clima tropicum, polare, climata regionum septentrionalium, meridionalium, clima maritimum, continentale. Sic differunt mundi partes, harum partium regiones singulaeque regionum provinciae, ut alia sint climata Europae, Asiae, Africae, Americae, alia Europae septentrionalis et mediae, alia insularum atque orarum maritimarum, alia terrae continentis, alia in montibus, alia in planitie hisque respondeant incolae: plantae, animalia, homines, quorum corporis habitus, natura, temperies huic naturae locorum et climati ita congruenter conformatae sunt atque aptae, ut temperamento proprio id quod noxium regiones habeant utcunque mitigetur, et ubique et homines vivere et sanitate frui et vel sub jove malo etiam longaevitatis haberi exempla valetu-

dinisque in senium usque protractae observentur. Nimirum nativitate et consuetudine durantur corpora, ut malignum aëra non modo innoxie ferant, sed semel adsuefacta vel facilius quoque, quam mitiorem, insolitum. Accessit hominum ipsorum diversa loca incolentium, mutantium, emendantium industria, quibus corporis mentisque dotibus omni animantium generi superiorem hominem totiusque mundi civem fecit natura.

418. Inest etiam, tam in anni tempestatum vicibus, quam in ipsius climatis conditionibus plurimum, quod singularum vim noxiam temperet. Nam aestivos morbos succedens bruma solvit et brumales adveniens aestas dimovet zonaeque torridae nociva potestas per situm locorum altiorem et maris viciniam lenitur ac maritimis locis et depressis, qualis nostra est patria, prosunt imbres vernales, hybernum gelu atque procellae autumnales, nec non crebra aëris temperieï permutatio, quibus notante Coo sene corporibus robur animisque fortitudo ingeneratur, atque purus, quo flagrant Batavorum pectora, libertatis amor.

NOXAE EX CIBO ET POTU.

419. Alimenta corpori et materiem subministrant quotidianae jacturae reparandae idoneam et grato

stimulo vitae actionem sustentant. Haec copia dotibusque diversissimis adsumpta ut sanitatis, ita morborum etiam caussae esse possunt; ipsorum enim abusus multiplex sive copiam spectes, sive incitandi potestatem.

420. Abusus ad certos calculos revocandus non est, propter ingens hominum gentiumque, respectu corporum, vivendi morum, locorum discrimen et paene infinitam hinc victus varietatem. Aliorum exempla exstant in mediis voluptatibus impune vitam ad summam protrahentium senectutem, alios vitae genus, locorum natura, vis consuetudinis, ipsa errorum permutatio juvat. Nec tamen minus verum, huic abusui maximam deberi morborum, chronicorum praecipue partem, qui ex Sydenhami voce, ut acuti Deum, sic hi nos habere homines auctores solent.

421. Alimentorum copia justo maior, etiam quae viribus coctricibus subigatur, consuetudine tamen inducit voracitatem et, nisi vita interveniat laboriosa tantumque elaboretur, quantum ingestum sit, increscente chyli, faecum, sanguinis, adipis, omnium humorum multitudine obruit, vasa opprimit, sensus, mentem hebetat, tandemque obest, vitam organicam plasticam in detrimentum alterius vitae incitando.

422. Eadem tanta, ut oneri sit ac rite digeri nequeat, fractis canalis cibarii viribus, impedito hu-

morum circuitu, oppresso nervorum sensu, coctionem turbat, fermentationem ciborum spontaneam, dyspepsiam, cacochymiam, vitia nutritionis efficit, pressione praeterea ac sympatheia partium vicinarum, remotarum, dyspnoeam, anxietatem, inordinatum sanguinis motum, cordis palpitationem, capitis congestionem, dolorem, vertiginem, somnolentiam, torporem.

423. Quodsi vero enormi subitaque repletione ita distendatur ventriculus, ut nato spasmo, ora sua claudat, distractis fibris, vasis arctatis, suppresso motu peristaltico, impedito humorum affluxu, cohibeatur plane digestionis opus, pressis, irritatis partibus vicinis, dyspnoea nascitur, anxietas, humorum circuitus perversus, excitata encephali consensione cephalalgia, vertigo, sensuum hebetudo, apoplexia; aut et cardialgia, nausea, vomitus inanis, rarissimisque exemplis ruptura oesophagi et ventriculi; nisi mature relaxato alterutro ore, gravans materies vel vomendo excutiatur, vel cruda devolvatur in intestina solutaque alvo tandem exturbetur.

424. Impleri autem cibo, quam potu fere nocentius est; tolerabilius, si lente et gradatum fit, quam si subito, ita ut recte Celsus: nunquam utilis est nimia satietas, saepe inutilis nimia abstinentia: saepe siqua intemperantia subest, tutior est in potione, quam in esca. Cels. 1, 2.

425. Copia ciborum parcior, ob defectum stimuli legitimi ac necessariae refectionis, humorum inopiam facit, adipem consumit, emaciat, refrigerat vitaeque organicae, plasticae languorem infert, ventriculum, intestina contrahit, ut aegre dein plus alimenti ferant, quin molestia, dolor, nausea, vomitus oriantur; sic consuetudine inducitur demum mensae parcissimae necessitas atque intolerantia eius etiam demensi, quo natura eget. Praeterea penuriâ sanguinis, nec rite incitato nervo vago atque sympathico decrescunt circulatio, respiratio, nutritio, secretio omnisque omnino vita plastica, altera animali exaggerata, id quod sensuum fallaciis declaratur et phantasiae alienatione et insomniis et miris mentis delirantis phaenomenis.

426. Absoluta a cibo et potu abstinentia si diu fertur, liquores menstrui, qui in primae digestionis officinam confluunt, vitiantur, degenerant sanguis et reliqui humores, male affecto per consensum cerebro, mens aberrat et ad summam ferocitatem impellitur, ex inanitione convulsiones fiunt, spasmi, tremores, animi deliquia, ex humorum dyscrasia anima foetens, immanis sitis, siccitas, prostratio virium, febres putridae, pestilentes, contagiosae.

427. Haec eo saeviora ac citius necant, si et potus deficiat, nam defectus cibi potione levatur. Et quo circuitus humorum velocior, motus ani-

malis major, auctior calor, copiosior excretio, dissipatio, eo graviores ab inedia noxae.

428. Liquet igitur, abstinentiam nimiam magis etiam laedere, quam nimiam satietatem et delinqui gravius in victu tenui, quam in paullo pleniore. Neque obscurum est, cur senes facillime inediam sustineant, dein mediae aetates, minus juvenes, minime pueri et ex his quidem, qui inter ipsos fuerint alacriores? Quare animalia hyeme sopita vitam sine alimento protrahant, cur sopore oppressi? Cur et quales aegroti diutius inediam, quam sani tolerent? Cur feminae debiles, maniacae, melancholicae, hystericae, ex vitio oesophagi, intestinorum, ventriculi, nervorum abdominalium aegrotantes incredibilem interdum inediam tulisse ferantur? Quare macilenti facilius, quam humoribus pleni? Quae caussa subitae emaciationis in acutis? Cur a fame pestis?

429. Cibi potusque non tam certam rationem postulat sanitas, ut non multum diversa utentes recte valeant. Nec eadem cuivis aetati, sexui, temperamento, vitae generi pariter congruit. Laedit tamen utriusque immoderatus usus isque intempestivus diuque protractus. Abundantior certe potus, succum gastricum nimis diluendo, menstrui potentissimi vim frangit, simul ventriculi tonum debilitat, auget urinarum, perspirationis, sudoris secretiones, vel et hydropicam diathesin

creat. Potus parcior digestionem difficilem, tardam efficit chylumque crassiorem, nec sanguinem satis dilutum, unde faex dura, crassa, aegre mobilis, obstructio, infarctus viscerum, constitutio haemorrhoidaria, hypochondriaca, venosa. Praeterea nervorum etiam male affectorum indicia sitim haud expletam sequuntur: prostratio virium, animi deliquia, alia, eo graviora, quo junior aetas, temperies magis sanguinea, plethorica, circuitus sanguinis a motu, febre, morbo acuto citatior.

430. Alimentorum, quibus homines bene vescuntur tanta varietas est, ut paene videantur copia magis, quam dotibus sanitati obesse. Sunt tamen, quibus sive luxurie, sive egestate jubente, utuntur homines, quae parca etiam copia nocent. Sunt quorum rarior usus innocuus, quotidianus insalubris. Etiam aliud alii vel corpori, vel valetudini convenit. Alia tandem insuetis tantum obsunt. Haec ut noscenda sunt, ita dotes considerandae singulorum, quoniam alia eupepta, alia euchyma, alia irritamento magis insignia, prouti vel facile digeruntur, vel nutriunt, vel stimulant praesertim.

431. Iis, quae nuper coctionis ciborum illustrandae caussa a physiologis facta sunt, periculis, efficitur, duo haec inprimis in alimento eupepto, euchymo requiri: alterum ut facilem subeat in ventriculo solutionem, alterum ut azoto sit praeditum

et debitam largiatur corporique nutriendo aptam materiem. Priori dote excellunt saccharum, mucus vegetabilis, albumen, gelatina, posteriori gluten, lac, caseus, ova sorbilia, victusque potissimum animalis. Illa vel sola aqua calida solvuntur, haec menstrui gastrici vim solventem acidam postulant. Hisce quae resistunt tenacia, dura, cruda corpori alendo inepta prorsus. In herbivoris maior, in carnivoris minor haec solvens succi gastrici virtus, in granivoris mira musculi torositate duriorem cibum triturante adjuta, in singulis quoque hominibus procul dubio magnopere discrepat.

432. Homini totius telluris incolae tam animalis victus, quam vegetabilis convenit, aliis gentibus, locis, anni tempestatibus, corporum naturis, aetatibus alius, etiam ex utroque mixtus. Uterque suis dotibus insignis suaque habens principia, suo quisque modo corpori alimentum praebet.

433. Victus animalis euchymus, eupeptus, plurimum habens alimenti, corporis naturae similis, copiosior plethoram efficit, phlogosin, simul vero abundans azoto, processu animali nimium aucto, nisum in dissolutionem; quapropter sanguineis, musculosis, cholericis, processu animali vigente, minus convenit, nisi vegetabili victu abunde temperetur. Ab eo enim morbi febriles, acuti, inflam-

matorii, rheumatici, arthritici, calculosi ipseque dirus, humido frigido accedente, scorbutus.

434. Quae in carne sunt partes etiam notandae. Fibra tenax, durior animalium vetustiorum, tendines, ligamenta ventriculo resistunt et parum alimenti afferunt. Gelatina, albumen, adeps mera, neque aliis mixta, nimium eupepta ventriculi vires vix exercent.

435. Animadvertendum praeterea animalium genus, aetas, valetudo, sexus, victus, natura locorum, in quibus degunt. Quadrupedum animalium carnes et avium valentiores, quam amphibiorum, piscium, molluscorum, valentiores adultorum marium, quam juniorum femellarum. Herbivora carnivoris praestant, ferae, optimis pascuis enutritae, saginatis, stabulo inclusis, vel paludosis in locis degentibus. Prompte caro vitulina, aegre suilla solvitur. Abstinendum porro ab aegrotantium animalium, vel quorum carnes jam putrescunt.

436. Etiam parandi modus carnes vel salubriores efficit, vel, quod saepe, insalubriores. Siccatae, fumo induratae, condimentis farctae, opere pistorio paratae, difficillimae solutionis primae officinae morbos parant. Adjuvant quidem coctionem ciborum condimenta, simul tamen stimulo obsunt, humorum blandam pervertunt indolem,

systema vasorum irritando et, circulatione sanguinis incitata, vitiando haematosin.

437. Ex vegetabili regno, qui paratur cibus, magis naturae animali dispar, tardiorem digestionem subit, in acorem, flatulentiam proclivis, infirmioris ut plurimum materiae minusque stimulantis est; a quo fonte acidum primarum viarum, diarrhoeae, colicae flatulentae, morbus pituitosus, verminosus, diabetes, scrofula mesenterica manant. Notanda tamen aetas, temperies, clima, ipsa denique alimenti vegetabilis diversitas.

438. Alia enim farinam habent, id est amylum glutini junctum, alia saccharum, mucilaginem, gummi. Illorum valentissimi optimique generis panis est fermentatione subactus. Quae fermentationem non experta sunt farinacea, nisi corporum robustorum, exercitatorum viribus, non facile subiguntur, nec satis incitant sicque morbos gastricos, pituitosos, verminosos, scrofulosos creant. Docent pauperum infantes plebejorum, solo ferme hoc victu e solani esculenti tuberibus degentes.

Fructus horaei, legumina, olera, saccharata infirmi cibi sunt parumque stimulantis. In acidum flatulentum degenerant, primae officinae munera turbant, viscera debilitant, corpus laxant.

Oleosa, pinguia ventriculi intestinorumque tonum frangunt, vel aliis mixta rancida fiunt, vel cito absorbta sanguine non plane subiguntur.

439. Acida, aromatica, alimenti minus, quam condimenti nomine nuncupanda, usu modico cibis gratum stimulum impertiunt, immodico obsunt: illa musculos intestinorum debilitando, spasticas stricturas inferendo, haec vi ignea corpus calefaciendo, inflammando: unde siccitas, macies, febres calidae, spasmi, exanthemata, phlogoses, dolores arthritici et alia plura.

440. Ante omnia damnandus mos est multos multique generis cibos miscendi, ingerendi, quoniam suus singulis solvendis succus gastricus convenit: parcior, copiosior, minus, magis acidus, ex acetico acido, aut muriatico, aut utrisque diversimode mixtis et temperatis, accommodate ad indolem ciborum solvendorum, ut ideo natura in victu quoque hominibus commendaverit simplicitatem.

441. Plurima quidem praeterea ab hominibus ingeruntur, cruda, austera, inquinata, corrupta, aliena stomacho, suadente penuria, adpetitu ex graviditate, morbo depravato, luxurie, avaritia. Quandoque negligentia, incuria, casus, malorum hominum artes, minus favens anni constitutio alimentis, caeterum salubribus, vel venenatam indolem impertiunt. Huius loci sunt cretacea, calcarea, immatura, stanneis, cupreis, plumbeis vasis adservata, farina e frumentis corruptis, morbo vitiatis parata, vegetabilia venenata, salubrium lo-

co comesta, fungi denique ac boleti, quum ne ab his quidem abstineant homines.

442. Qui cibos solidos, tenaciores non mandunt, sed neque extenuatos rite et confectos, neque mollitos vorant, ventriculo plus facessunt negotii, quam natura imposuit. Inde tardior et imperfectior solutio, faecum copia maior, alvus durior, tardior, infarctus, cachexia. Haec tamen debilibus magis et desidibus, quam robustis et exercitatis eveniunt. Eveniunt etiam senibus edentulis, quorum et haec et omnis ex aetate vitae actio torpet.

443. Ventriculum inter concoquendum molestant pariter gravis, mox a cibo sumpto, corporis mentisque exercitatio, animique commotio.

444. Saepe cibi, saepe potiones sanitati obsunt, ubi vel nimiae, vel pravae, vel corporum naturis haud idoneae. Hae vel diluunt tantum, vel nutriunt, vel incitant. Prioris generis aqua, alterius lac, tertii vinum est vinique spiritus. Magis compositae sunt cerevisia, infusiones theae, coffeae, cocciolatae.

445. Aquae potionis abusus succi gastrici vim solventem diluit, vim musculosam ventriculi infirmat, si tepida laxat; si fervida, aut glaciata adstringit, corrugat; sive frigida seu calida, hydropicam, debilitando solida, attenuando fluida, infert diathesin. Thermis sive aquis mineralibus utentibus calidaeque potatoribus hydropem fieri obser-

vatio est. Nocet quibus stimulo opus quorumve corpus valentiori potui adsuefactum est: senibus, infirmis, stomacho imbecilliori viventibus, vinosis, ebriosis. Nocet aqua insipida, cocta, cruda, dura, pluviatilis, palustris, corrupta, alienis inmixtis, alvum tardans, obstruens, sanguinem inficiens et lympham, quo facto nasci strumas, nec rite ali corpus necesse est.

446. Lac species emulsionis animalis, cremore constat, sero, caseo intime mixtis, praesertim in lacte humano, quamdiu calet. Si solus adhibeatur infantibus, exhaustis, emaciatis, integro ventriculo, aptus, at infirmo ventriculo, maxime si coquitur, aut cum aliis miscetur, ineptus cibus facile digestionis turbas, primarum viarum colluviem saburralem indeque natum alvi fluxum creat. Unde liquet, quid de eius usu aut abusu, in morbis potissimum phthisicis et hecticis sit censendum.

447. A nutrientibus ad stimulantia transitum facit cerevisia, quae si recens ac tenuis, vel acore, vel aëre, quo gravis est, colicas, alvi fluxus, urinae difficultatem, si vetusta ac generosa, ut vinum, inebriare, caput gravare, vertigines, apoplexias provocare, sin vero nimium nutriens plethoram, polysarciam, corporis animique ignaviam efficere poterit.

448. Vinum infantibus, junioribus, feminis haud idonea potio nervos et vasa inprimis excitans, siccorum, irritabilium sanguinem inflammans largi-

ter haustum temulentiam facit, sanguinis congestiones, profluvia, nervorum turbas, apoplexias. Obsunt vina potissimum nimio stimulo tum ventriculum, tum reliquas corporis partes laedente. Itaque cardialgia, nausea, vomitus, singultus, et post frequentem crapulam anorexia, dyspepsia, sitis, solius potus cupiditas; ventriculi contractio, inflammatio, induratio, scirrhus, praeterea febres crapulares, deliria, stupores, tremores, convulsiones, anaesthesia, torpor, adynamia, apathia, insania; denique arthritis, podagra, calculus, hydrops vini abusum sequuntur.

449. Spirituosa rectius medicamentis, aut venenis, quam potulentis adnumeranda vinorum noxas, sed graviores illas habent, ut juremerito summo generis humani detrimento inventa esse dicantur. Venenatam vim in genus nervorum praesertim exserunt et spontaneae combustionis, iisdem abutentibus caussa fuisse feruntur.

450. Theae et coffeae infusiones si dilutae, ut solent, aquae calidae similes, coctionis organa et corpus universum infirmant, si meracae, theae abusus cardialgiam, orgasmum, anxietates, cordis palpitationes, pulsus animique defectum, tristitiam, mala nervorum concitat; coffeae vero congestiones, haemorrhagias, haemorrhoides, vertigines, tremores artuum, praecipue mobilioribus, plethoricis. Cocciolata denique et nutriens et aro-

maticum valentissimaeque materiae genus potionis est, robusta viscera ad digerendum postulans atque aromate suo irritabiliorum generi hominum nocens. Quocirca horum potuum plenior usus a medicis mercatoribus licet impense laudatus, culpandus magis, quam commendandus videtur.

451. Valetudini nocent quoque cibi potusque nimium ferventes, nocent glaciati, corpore aestuante, aut ventriculo vino incalescente, ingurgitati; unde gastritides, enteritides, pleuritides aliaeque aliarum partium inflammationes, nocent mensarum secundarum deliciae, ventre pleno multorum ciborum et potuum, nocet plenior paullo ante somnum coena, unde fit, ut minus reficiatur corpus, coctionis opere nocturnam quietem adimente, insomniis, incubo, aliisque incommodis fatigante dormientes.

452. Denique et in temporibus cibandi potandique delinqui potest, quibus servandis fame sitique, naturae tanquam vocibus, monentur homines. Iis vero quominus auscultemus, vetant vitae civilis instituta. Quamobrem praeclare nobiscum actum est, quod nullis nos legibus obligare cogamur, sed varium sequi vivendi morem eique corpus adsuefacere liceat, quin tamen leviora quaevis delicta aegre ferantur, aut spatio multum diverso interjecto aut cibus, aut potus tuto capi possit. Nihilominus nocent sibi, quorum semper in patinis, aut poculis animus est, ut pleno ventri nulla detur muneris

vacatio. Nam si concoctio bona, copia tamen et satietas obsunt, sin mala, ut esse consuevit, cacochylia huiusque pedissequa cacochymia ac cachexia hunc abusum sequuntur. Haec ut sanis, illibata valetudine laedit intemperantia, sic magis etiam convalescentibus, aut valetudinariis officit. Neque enim quae ingeruntur, sed quae digeruntur, alunt ac reficiunt corpora.

DE INTEMPESTIVO REMEDIORUM USU.

453. Medicamenta, quae corpus mutant, ab alimentis, quae corpus servant, differunt, tanquam a rebus salubribus res inutiles, vel etiam insalubres. Ideo sanis non conveniunt, quos conservari alimentis, non mutari medicamentis oportet. Nam vel inertia corpus permeant, vel naturae robore subacta in alimentum vertuntur, vel suis viribus, quod sanum est, mutando morbum creant.

454. Aeque minus imbecillis, debilibus, valetudinariis utilia sunt. Neque enim in arte est eandem perfectissimam sanitatem largiri universis quasque natura constituit omnes sanitatum differentias coaequare, nec si esset, tutum foret, eam cui corpus adsueverit, licet haud valde prosperam valetudinem temere immutare, aut tolerata diu

mala tollere. Plus igitur hac in re apto vitae regimine, quam medicina, siquid possit, ars medendi proficiet.

455. Idem de prophylaxi dicendum, quae si semper per remedia, ut fieri solet, valentiora quaeritur, haud raro morbis nascituris praebebit opportunitatem.

456. Universe igitur hic abusus nocet sanis, praesidia adversae valetudinis in secundâ consumendo, cum mentem, tum corpus iisdem adsuefaciendo, particulis alienis humores inficiendo, vi non propria partes lacessendo, pervertendo regulares naturae motus. His si adjungas peculiares agendi vires, quibus diversa remediorum genera pollent, intelliges, cur toties hoc errore abducti morbos ac mortem praematuram prae laetiore sanitate reportent. Humores ad singulas partes alliciendo iisdem reliquum corpus orbatur, aequilibrium vitae, sanitatisque harmonia tollitur. Hoc pacto nocent venaesectiones, purgationes, reliquae curationes prophylacticae, nec corpori tantum, sed animo quoque, cui nimiam morborum mortisque formidinem, neglectâ partis melioris curâ, incutiunt.

457. Notanda etiam pseudomedicorum, medicorum, pharmacopoeorum, chirurgorum, obstetricatorum, obstetricum delicta, quae vel inscitiae, ignorantiae, opinionis praejudicatae amorisque sy-

stematis culpa committuntur, vel imperitiae indoctaeque artis et manus pravique consilii. Quamobrem ipsi artis salutaris professores non immerito potentiarum nocentium in numerum recipiuntur.

DE POTENTIIS, QUAE VENENUM HABENT.

458. Alimento contrarium, medicamento affine venenum, verbis exacte vix definiendum, illud vulgo dicitur, quod perexigua mole corpori viventi ingestum, eive admotum, effectus edit in perniciem vitae sanitatisque tendentes.

459. Venenorum mineralium, vegetabilium, animalium, alia acria sunt, alia narcotica, alia septica, quibus nonnulli quartum et quintum genus, stypticorum videlicet et mixtorum adjungunt.

460. Acria, partes quas tangunt inflammando, corrodendo, destruendo laedunt, veluti exclusa ab aliis mechanica, tum chemica: acida, alcalia, metallica caustica, denique plantae virulentae, acres, principio pariter urente, caustico armatae, ex Ranunculaceis et Euphorbiaceis maxime.

461. Narcotica cerebro, medullae spinali, nervis musculisque inimica, aliis alia, vim sentientem et irritabilem extinguunt, sive citius, sive tardius, aut post fugacem turgorem vasorumque irri-

tationem, aut statim narcosin inferentia, quaedam in singulas tantum imperii nervorum provincias irruentia, intactis aliis.

462. Septica, quorum ex animalibus plura, sanguinem solvunt atque universum corpus putredine inficiunt, sic brevi necant, omni partium compagine sublata.

463. Styptica partes stringunt, secretiones sistunt, meatus occludunt, excretiones cohibent, turgorem vitalem sufflaminant ac spasticis partium stricturis, injecto vinculo, liberum impediunt motum tandemque torporem paralyticum faciunt.

464. Ex mixtorum genere sunt narcotica acria, et causticitate et vi soporiferâ insignia, quorum e numero multa sunt e vegetabilibus, aliis acrimoniâ, aliis narcoticâ vi potentioribus.

465. An quae nuper de venenorum actione a viris doctis prolata est sententia, nonnisi in sanguinem suscepta ac nervorum centris admota corpori mortem inferre, in universa cadat, in tantâ varietate corporum virulentorum difficile dictu est. Plurima quidem in sanguinem resorbta agere dixeris, stimulo inimico vasa primum, deinde nervos laedente. Alia canalis cibarii mucosam irritant, inflammant, corrodunt, consensu nerveo cerebrum, cor, pulmones necant, alia spinae medullam, musculos interimunt, alia coagulant sanguinem, alia solvunt. Alia lenta morte occidunt,

alia prompta, interdum quasi fulminis ictu nervorum finibus vix admota vitam prosternunt, diu alia in corpore sopita, post longam demum moram, ad vitam actionemque excitantur. Quapropter major requiritur in experimentis subtilitas, in observationibus diligentia, in conclusionibus prudentia, si pleniorem sperare liceat toxicologiam. Nec praetervidendum, plura esse atria venenorum. Nonnulla nimirum aëri admixta inspirari, alia deglutita maxime operari, quaedam in vulnere tantum, quae inertia reddere vis ventriculi valet, alia aliis modis, nonnulla etiam quibuscunque; agere tandem in corpora organica viva, quorum multum diversa est perceptio, vita, agendi ratio, unde intelligitur, cur venena quaelibet non cuivis indiscriminatim homini aeque noceant, nec eodem semper modo, aut eadem dosi.

466. Fatendum tamen, si experientiae, si observationi, si analogiae fides, multa eaque gravissima venena in circulationis vias recepta potentiam virulentam exserere, sanguinem vitae fontem corrumpere, ipsius crasin vitalem solvere, universum sibi adsimilare corpus. Rem testantur facta et pridem et nuper pericula, nata a venenis cohibitae praesertim circulationis phaenomena, analoga organismi componendi ac decomponendi ratio, quâ tum quae alunt, tum quae solvunt corpus, easdem subire vias videntur, eodemque modo et alimento sus-

tentari vita et extingui veneno. Acidum hydrocyanicum, venenum serpentum aliaque etiam e corrodentium genere sic vitae motum sistere feruntur, quae ad veneni absoluti maximeque communis notionem propius accedunt. Caetera singulis propria magis, nonnullis tantummodo aut animalibus plantisque, aut organis mortifera sunt.

467. Naturâ venenis similia miasmata atque contagia ita inter se differunt, ut miasmata dicantur corporum inanimatorum mortuorumque effluvia, aërem inquinantia, quae vi perniciosa, parvâ mole, materie ut plurimum sensibus non manifesta, modisque singularibus morbos creant utplurimum refractarios malique moris; contagia vero corporum viventium ipsorumque morborum producta, specieï veluti propagatione in aliis morbos generant, iis, unde originem traxerunt, pares. Utrisque multae patent, quibus corpus subeunt viae: per pulmones, cutim, membranas mucosas, morsus aliaque vulnera. Miasmata ab aëre vitiato, aut prava telluris exhalatione oriunda morbos gignere solent populares endemicos, epidemicos, a pari aëris, climatis, soli aliarumque rerum communium vitio suscitatos, maxime varios, nec nisi summam vim nactos contagione sese propagantes. Contagia in ipsis corporibus viventibus nata, ab uno ad alterum, ad plures semper producuntur sicque ab una regione ad alias migrant, sub-

inde dissitas, aëre, climate rerumque communium ratione maxime dispares; et quemadmodum morbi miasmatici quam brevissimo paucarum hebdomadum tempore magnas peragrant telluris plagas, sic contagiosi lento sed certo gradu, plurium annorum praescriptos ipsis cursus conficiunt. Contagiorum quaedam fixa sunt, quaedam fugacia magis, quaedam febrem excitant, quaedam sine febre agunt; plura materiae animali inhaerent, nonnulla solo hominum contactu propagantur atque proserpunt. Est quorundam cum singulis organis maior affinitas et peculiaris, quâ progrediuntur in corpore via. Origine tenus quaedam semel nata perennant, quaedam proprio rerum externarum faventium concursu nascuntur, vigent, hisque deficientibus deinceps, emoriuntur, saltem languescunt, aut ubi corpus semel invaserunt, seminium in ipso ad ea denuo excludenda delent. Seminium istud semper requiritur, ut suscipi evolvique possint, in ipsa peste orientali, variolis, aliisque maxime contagiosis malis. Incubationis tempus varium, contagii, corporis aliarumque rerum conditionibus definitur.

468. Actio ab aliis aliter, cum irritatione, inoculatione, adsimilatione, digestione, fermentatione, germinatione, generatione comparata, necdum rite explanata est. Ultima cum generatione comparatio plures habet, quibus sese commendat rationes:

ortus similitudo, mira multiplicandi vis, suppar phlogistica in corpore nata conditio ac reactio generis vasorum, nec dispar eventus, analogae utrique faventes conditiones, simillimus finis, morte scilicet sive vitae parasiticae, sive vitae communis.

469. An contagiorum virus tractu temporis mitescit ac retunditur impetus? An populorum mutuo commercio nova fiunt contagia? An prospere valentium in prospere valentes vis contagiosa est, ut quibusdam placuit? Quo posito principio, gentium in remotas regiones migrantium easve invadentium, migrante cum hisce climate, peregrinorumque adventu, incognita saepenumero eaque gravissima exorta esse morborum Epidemicorum genera intelligitur? Num uti unum contagium non raro alterius potestatem frangit, praecipue, ubi utrumque in eandem corporis partem, aut partium genus impetum facit, ita nonnullorum conjunctione novae generantur Epidemiae contagiosae, eo inprimis tempore, quo corpora animique hominum caeteraeque res externae ad magnam eiusmodi mutationem suscipiendam novamque morborum prolem procreandam idonea existunt? Certe multa sunt in Historiâ reï Epidemicae loca, quae ex tali conjectura sat commodam habent interpretationem.

470. Morbi etiam, qui a contagiis oriuntur, plurimum differunt: alii phlogistici, alii nervosi, alii putridi, alii breves, alii longi, alii magnam sol-

licitantes virium corporearum contentionem, sicque minus universe detrimentosi, alii lento motu corpori subrepentes eoque, nisi in tempore opprimantur, certiorem oeconomiae perniciem intentantes; alii partem, cui admota sunt, mutantes penitusque renovantes sicque eam a nova contagii efficacitate immunes praestantes, alii hanc partis mutationem nonnisi post omnem deletam contagii vim perficientes, neque hanc igitur immunitatem secum ferentes. Eo tamen conveniunt universi, quod vel cutim, vel membranas mucosas et primo et praecipue inficiant eaque communia morborum atria tum ingrediantur, tum egrediantur, haec inflamment, ulcerent, et in haec evacuationibus, secretionibus, crisibus malis, bonis vim omnem conjiciant, quodque corporum valetudo et constitutio anni magnam efficacitatem habeant in morbos contagiosos acuendos, mitigandos.

471. Quaecunque res pondere, duritie, acie corpus offendunt, sive in ipsum rudi modo adigantur, sive hoc in eas impingat, mechanicas laesiones inferunt, quae impressione, ictu, commotione partes contundunt, vulnerant, concutiunt, destruunt, atque vi mechanica cohaesionem, situm, nexum partium turbando, morbos instrumentarios, fracturas, vulnera, luxationes, hernias, prolapsus, vitia numeri, formae, magnitudinis, quaeque inde sequuntur, efficiunt. Compressio partium actionem

liberam ac nutritionem impediens si diuturna, eas vel evanescere penitus, vel degenerare facit. Gravius nocet ictus animales partes dirimens, contiguas separans, aut loco pellens, qui quo rudior, eo noxa gravior. Maximas vero noxas affert corporis commotio, unde summa debilitas, nervorum resolutio, mors subitanea, quin fabrica partium mutata corruptaque adpareat.

Venena mechanica, quae dicuntur, sive aëre continentur, ut farinae, calcis, lapidum particulae, in pulmonibus aëris viam intercipientes, molendinariis, pictoribus, sculptoribus morbos pulmonum, ipsam mortem inferentes, sive deglutita ingestisque commixta, in faucibus haerentia, aut tubo cibario, ossicula, spinae, acus suffocant, lacerant variis modis: interdum tamen in tela cellulosa, adipe, carnibus diu impuneque haerent ac deinde, multo interjecto tempore, prodeunt in conspectum, loco quam remotissimo.

DE VESTITU.

472. Vestimenta, quae decori honestique sensus vitaeque cultus civilis homini, non ad barbariem, sed ad humanitatem nato commendarunt, pressione, calore, irritatione offendere possunt. Ut modica vestium adstrictio fultura juvat tonumque par-

tium auget, debilibus eapropter, laxis saluberrima, ita excedens pressio rigiditatem infert morbosam, circulationem cohibet, nervorum sensum hebetat, congestiones, oedemata, paralyses facit, nec non viscerum situm mutando, hernias, prolapsus, formaeque turpitudines, alienationes. Caput, truncus, artus, collum, pectus, abdomen, sic pressa variis modis male habent eoque pejus, quo maior pressio, magisque impar eius ferendae locus. Collare vestimentum, lorica feminarum et, turpe dictu, viris hoc aevo usurpata, calceamenta quot quantaque mala afferant, comparata ipsorum forma cum perfectissima specie humana indicat, experientia confirmat.

473. Considerari etiam debent vestimenta tanquam conductores calorici meliores, pejores. Optime calorem conducunt linea, xylina, omnium minime lanea, plumea, pilosa, de animali materie facta, unde congestio cutanea, aucta perspiratio, sudor. Obest frequentior, intempestiva vestium, non probe resiccatarum, permutatio delicatis, teneris feminis; sed magis obsunt vestes sordidae, immundae cuti et reliquo corpori, unde exanthemata morbique potissimum gastrici. Nec minus obsunt lectuli, culcitae, stragula calore, mole, sordibus, contagiis, praecipue de plumis et lana facta corpus nimium foventia, calore, mole prementia, sordibus, contagiis inquinantia.

474. Est denique alia ab aliis vestibus organi cutanei incitatio, ut alia iis stimulandi potestas. Praesertim maximeque cutim irritant vestimenta de lana facta, unde fluxus humorum ad cutim, aucta cutis secretio, excretio, utilis, inutilis, varia conditione corporis, cutis, aëris, climatis.

475. Ex hisce perspicitur, cur incauta hyberni aut aestivi vestitus mutatio, subitave partium tectarum denudatio, aut neglecta tegumenti ad aëris tempestatumque vicissitudines accommodatio tot et tam gravia saepenumero mala incautis praecipue inducant. Et quid epithemata, unguenta, oleosa, spirituosa cuti admota, illita, infricata sine cosmetico, diaetetico, therapeutico boni malique adferre possint.

476. De partibus vestiendis multum inter medicos disputatum est, aliis capite, collo, manibus nudis incedendum esse, aliis hasce partes religiose tegendas esse contendentibus, nonnullis eo usque procedentibus, ut a femoralibus similibusque corporis indumentis omnia flagitia ipsamque generis humani depravationem repetiverint, ut hic, quod in plurimis contentionibus deprehenditur, media inter diversas sententias vero proxima videatur et rerum externarum conditiones corporumque naturae animadvertendae ei sint, qui lites istas componere cupiat.

Idem circa vestitum nocturnum censendum, de

quo non minor extat inter homines ipsosque medicos controversia. Universe cultus auxit corporis mollitiem eiusque tegendi necessitatem, et in climate frigidiori, praesertim si humidum simul, in defectu magis, quam in excessu peccatur.

EXCRETIO AC RETENTIO INORDINATA.

477. In corpore vivo qui perpetuus est, nec interruptus compositionis decompositionisque motus ipsam oeconomiae animalis tuetur integritatem. Hoc principio nititur secretionis atque excretionis negotium, a quo turbato valetudinem labefactari morbosque nasci necesse est. Quapropter nec excerni retinenda, nec retineri excernenda oportet. Ab illis inanitio, ab his irritatio, ab utrisque mala valetudo proficiscitur.

478. Notandum, hoc loco tantum voluntariae excretionis et retentionis mentionem fieri, quatenus non symptomata, sed caussae morborum existunt.

479. Salivae, menstrui vitalis, ad digestionem perutilis jactura per expuitionem, more pravo, indecoro, sive sponte, sive nicotiana aliisque sialagogis facta coctionis, nutritionis vitia: dyspepsiam, anorexiam, marasmum provocat. Hypochondriacis, melancholicis commune hoc vitium est.

480. Ab alvi suppressione faeces durae, accumu-

latae, infarctus, tumor ventris, molestia hypochondriaca, pertinax alvi adstrictio, haemorrhoides, capitis gravitas, dolor, vertigo. Haec in naturis debilioribus, quae multas faeces parant. Robustis pauca, quae quotidie a cibis faex superest, etiam per multos dies retenta non nocet.

481. Lotium reprimentibus, nisi invitis tandem elabitur, vesicae turgor, tumor immanis, lumborum dolor, anxietas, fundi musculique vesicalis atonia, colli et sphincteris spasmus vix superandus, ischuria gravis, ruptura, hernia, inflammatio, gangraena huius visceris. Haec mala topica. Accedunt symptomata nervosa: tremor, vertigo, delirium, convulsio, propter stimulum peregrinum, perpetuo irritantem et, oborta tandem diathesi urinosa, humorum corruptela tactoque cerebro, lethargus, febris, typhus urinosus, mors.

482. Venus immoderata tum humoris praestantissimi jactura, tum motu, quo emittitur semen convulsivo ac contentione nervorum inprimis laedit. Etenim summam voluptatem universalis excipit virium resolutio atque aucta alicubi secretio ad partem secernentem allicit sanguinem, ab aliis partibus avocat succique sic ad genitalia derivati reliquo corpori subducuntur. Inde musculorum infirmitas, lassitudo, immobilitas, incessus delumbis, encephali dolores, calores, convulsiones, tremores, segnities, hypochondriasis, sensuum

hebetudines, paracusis, amaurosis, animi morositas, ignavia, torpor, oblivio, fatuitas, circulatio febrilis, macies, atrophia, tabes dorsalis, corporis animique habitus effeminatus. Graviora haec paeneque insanabilia fiunt ob perpetuam pruriginem, quâ mens non minus, quam corpus contaminatur inque res venereas abripitur, ita ut vel vigilantes, vel dormientes nil nisi turpia ista cogitent et in tentiginem pronae partes quovis stimulo concitatae semen effundant. Quocirca liquet, quare adolescentiae florem pessumdet istud flagitium, cur superstites senum vires exhauriat. Discrepant vero hoc quoque virium genere hominum corpora plurimum, quamvis aetate paria, aliis vel raro concubitu languentibus, aliis vel frequentissimo vix solvendis. Et firmis cavendum tamen, ne in secunda valetudine adversae praesidia consumantur.

483. Abstinentia nimia rarius quidem obest, obesse tamen visa hominibus plethoricis, natura salacibus, πολύσπερμοις, huic excretioni adsuetis, congestione ad ista loca, irritatione, satyriasi, priapismo, mentis alienatione varia. Sexui sequiori abstinentia obest saepius, ut ex hoc fonte languor virium, fluor albus, chlorosis, malum hystericum, nymphomania profluant, potissimum ubi ex depravata phantasia, vitio nefando suscitata, neque expleta voluptas.

484. Nec dispar noxa est nimiae lactationis,

unde nervorum irritatio et corporis inanitio; hinc status nervosus, sensuum imbecillitas, nervosa pariter tabes, uteri denique gravidi abortus. Suppressa lactatio tum corpori obest, tum mammis, cohibendo puerperii crisin et secretionem topicam.

485. Sanguinis jactura corpus et stimulo vitali orbans et humore alibili et calore turgoreque, quales prospere valentium esse decet, convulsiones creat, aut animi defectiones, maciem, collapsum, haematoseos vitia vitaeque plasticae; hinc sanguis sero dives, pauper cruore, diathesis hydropica, leucoplegmatia, hydrops.

Suppressa etiam vel spontanea, vel cui natura dudum adsuevit sanguinis evacuatio valetudinem infirmat, primo plethoram universalem, particularem inferendo, tum, sublato aequilibrio vasorum nervorumque morbos: inflammationes, haemorrhagias, spasmos, sensuum anomalias, aut etiam torpores.

486. Atque hae praecipue caussae sunt, quae sive in rebus externis, sive in corpore ipso positae vitam organicam aut primo, aut praecipue aggrediuntur, quarum aliae in officinam digestionis ut alimenta, aliae in spirandi instrumenta ut aër, aliae in circulationis, nutritionis, generationis organa primum impetum faciunt, nonnullae in plures aut cunctas insiliunt, omnes vero et animalis vitae partes invadunt, quippe cum altera communi

societate conjunctae. Nunc ad eas accedimus, quae animalem propius spectant caussas, licet et hisce multiplex sit in vitam organicam efficacitas. Ita nimirum fert natura hominis, in quâ consentientia omnia omniaque pariter sociorum malo dolentia, quod, qui cogitaverit communia cunctis intertexta genera nervorum vasorumque mirabitur nemo, ut ideo, quae artis sunt ac disciplinae humanae separationes divisionesque, eas vix ita sancitas esse deprehendamus lege naturae.

MOTUS ET QUIES.

487. Motus muscularis, qui hominis arbitrio regitur, vitae sanitatisque praesidium, digestionis, respirationis, circulationis et quam plurimorum corporis munerum subsidium simul et incitamentum, ita cum reliquis corporis vivi, vasorum praesertim et musculorum, etiam organicorum motibus cohaeret, ut sive excedens, sive deficiens valetudinem mutet. Ex iis igitur, quae musculorum motus comitari ac consequi in corpore observantur mutationibus, innotescet, quae motus aut quietis excessus efficit mala.

488. Musculorum fibrae continua contractione relaxationeque agitatae firmantur, sanguinem uberiorem ad se alliciunt, plenius nutriuntur, volu-

mine augentur, ex communi vitae lege, qua pars quo magis exercetur, eo majus incrementum capit. Ea quidem musculorum lacertis, nec minora inde universo corpori nascuntur commoda. Primo sanguis velociori motu vasorum vias permeans cordique advectus huius contractiones accelerat, quo circulatio motusque humorum incitatur. Tum, aucta circulatione, sanguis pulmonum etiam vasa praeterlabitur velocius sicque et respiratio increscit quique ab hoc fonte inprimis manat, calor animalis. Porro motus intestinorum peristalticus aliique automatici interni, externorum musculorum motu concitantur, impelluntur. Tandem plures corporis functiones motu musculorum, tanquam vi succedanea, egentes: digestio, nutritio, secretio, excretio melius absolvuntur. Atque haec sunt publica exercitationis modicae emolumenta.

489. Unde efficitur, quaenam immodica importet incommoda tum musculis ipsis, tum oeconomiae universae. In musculis primum vitae incitatio, augmentum, inde lassitudo, debilitas, tremor, dolor, spasmus, convulsio, motus scilicet irregulares incompositi, quibus medetur quies. Nec facile tamen medetur rigiditati, quâ qui labore improbo victum sibi suisque quaerunt, ante diem senescunt. Respirationem praeterea sanguinisque circuitum accelerat, cruoris fibraeque elaborationem nimis properat, calorem auget, sanguinem

in partes dispositas majori impetu pellit, sudores profusos, congestiones, haemorrhagias, sanguinis dyscrasiam concitat animique deliquia. Nec rarum est vehementi nixu musculos tendinesque avelli, ossa frangi, vasa rumpi, alias continui solutiones fieri. Denique virtus nervea a sensoriis nervis ad motorios musculorum maximam partem derivata sensuum cerebrique vitae, sensibus igitur animoque insigne detrimentum affert.

490. Neglecto motu longaque quiete musculorum lacerti non exercitati gracilescunt, articuli, ligamenta rigescunt, torpent nervi motorii ac systema spinale. Languent similiter, quae a motu pendent corporis actiones: respiratio, circulatio, digestio, secretio, excretio, nutritio; unde venarum in omne corpus dominium, vitae plasticae torpor, nervorumque ataxia, mala valetudo, actio anomala.

POSITUS MOTUSQUE SINGULARES, QUI DIUTIUS PROTRACTI OFFICIUNT.

491. Quam in plerisque rebus suis affectat amatque natura varietas, in partium corporis motione ac positu quoque juvat. Etenim ad formosum corporis habitum, dexteritatem et sanitatis constantiam multum confert aequale omnium muscu-

lorum exercitium; quamobrem peculiaris corporis positus situsque ultra modum protracti valetudini offendunt.

492. Status erectus magnam requirit musculorum dorsi, lumbalium, artuum inferiorum contentionem et propter perpetuam columnarum ossium articularium vacillationem, ob parvam mobilemque, cui innituntur, basin, ingens virtutis muscularis dispendium.

Iste igitur positus musculos artuum inferiorum et dorsi eorumque nervos fatigat. Sanguinis per venas ex imis partibus reditum impediens crurum varices, oedemata, ulcera, in feminis fluxum menstruum uberiorem, fluorem album, uteri vaginaeque prolapsum creat ac sanguine a capite pectoreque revulso, syncopen, cordis polypos similiaque.

493. Diuturna sessione plurimi musculi quiescunt quique trunco corporis inclinato sedent multumque flexis genubus, et spinae cruribusque, et pectoris atque abdominis visceribus graviter nocent, ut minime mirum sit, ex vita sedentaria plethoram abdominis venaeque portarum, viscerum abdominalium tumores, digestionis turbas, alvi obstructiones, haemorrhoides nasci. Haec communia sartorum, sutorum, eruditorum infortunia; nec leviora puellarum, operibus muliebribus dies noctesque incumbentium: menstruorum aberrationes, chlorosis, passio hysterica, vitaeque anima-

lis turbata symmetria, obliquitas spinae, crurum stupor, ischias, claudicatio.

494. Decubitus renibus pariter et capiti nocivus in eas partes sanguinem congerit, secretioni, propulsioni, excretioni urinarum obstat, unde mucus, sabulum, calculus horumque sequelae. Caput humoribus replet, cephalalgiam, sensuum hebetudinem, soporem, vertiginem facit; febricitantibus vero delirium, cuius in situ erecto medela.

495. Vehemens corporis nixus, spiritu cohibito, musculis, tendinibus, ligamentis, ossibus, articulis vasisque magnam vim inferens spasmos, rupturas, distorsiones, fracturas, luxationes, hernias, prolapsus, haemorrhagias efficere poterit, et sanguinis simul per pulmones trajectum suspendit.

496. Sunt praeterea nonnulla motuum genera, tum activorum, ut incessus, cursus, saltus, lucta, aut singula spirandi, vocis, deglutitionis instrumentorum, ut tussis, risus, sternutatio, oscitatio, pandiculatio, vociferatio, tubarum inflatio, tum passivorum: gestatio, equitatio, aut curru, navibus vectorum, quorum noxas commemorare et a partium ipsarum agentium, vicinarum, consentientium, conspirantium structurae munerumque cognitione repetere oportet; quo facto artificum valetudo ac morbi sat facile intelligi poterunt et explicari atque hominum in societate degentium comparari historia medica, cuius interpretandae summum principium ab ea

vitae lege ducitur: nullam partem prae caeteris exerceri, nisi in detrimentum reliquarum ac prouti praeter naturae modum in uno organo actio et energeia vitalis increscant, pro ea ratione decrescere in aliis, ita ut homo civis ab homine inculto barbaro hoc nomine discrepet aliaque sit perfectio artis, alia naturae et quemadmodum nullum magnum est ingenium sine quadam dementiae specie, sic nullus magnus artifex sine quodam corporis vitio esse soleat.

SOMNUS ET VIGILIAE.

497. Sicuti communis hominum mater tellus, ita et hominum vita suum habet diem et noctem, in vigiliarum somnique tempora partitas. Dies vitae externae animalis vigentis tempus est, cuius organa nocturno somno quiescunt ac reficiuntur. Nox ab externis partibus ad interna vitae vegetativae organa revocat energeiam vitalem, a cerebro spinaeque medullâ quique hisce reguntur, sensibus, nervis, musculis, ad nervi sympathici corporis nutriendi officinae prospicientis sedes reconditas. Itaque quod diurno sensuum motuumque exercitio virium sentientium motriciumque factum est dispendium, id nocturna intermissione laborum com-

pensatur. Inde naturalis somni necessitas et consentaneus sanitati tuendae modus.

498. Tametsi igitur et somni et vigiliarum in longum tempus perductarum exempla feruntur, utriusque nimium et ultra debitum naturae contrarium est, nec impune toleratur. Non duratura vita est, quae alterna requie caret, nec nisi umbra vitae perpetuus somnus.

499. Magnopere tamen hoc debito ab hominibus homines distant. Dormitans vitam ingreditur infans, dormitans e vita excedit grandaevus senex, infanti similis, quodque interponitur temporis spatium, eo magis dormiendo transigitur, quo propius ab origine abest homo. Exinde increscit semper tempus vigilandi, quod florente atque adulta aetate longissimum, obrepente senectute in hyemem inclinat ac tristem noctem. Differunt praeterea somni necessitate sexus, temperies hominum eamque vel augent, vel minuunt natura locorum, anni tempora, mores, consuetudo, vitae genus, ut suum cuique debitum praefinire, nisi harum rerum ratione habita, non liceat.

500. Vigiliarum tempore vitae animalis incitatio est. Diurnis stimulis patent sensus, pulsantur iisdem, agitantur, cerebrum continua actione excitant, ab hoc ad musculos arbitrio movendos deflectunt incitamenta hique in motus cientur, numero et varietate infinitos. Somnus horum omnium quies

est, qua vis nervea ac muscularis exhausta recreatur, vitâque a superficie corporis ad interna viscerum penetralia replicatâ, corpori nova subministratur materies, et nervorum et musculorum genus post nocturnam quietem, ad laborem diurnum, pristino recuperato vigore et alacritate, revertitur.

501. Idcirco quicunque vocibus naturae ad somnum componentis resistunt, aetatem praecipitant. Nam protractae vigiliae primum nimis excitabunt vires nervorum: hinc inquietudo, sensuum hallucinationes, dolores, convulsiones, somni optati fuga, visiones, vertigines, deliria, insania. Nervi excitati vasorum quoque excitabunt vitam, praesertim nervis sensuum, motuum, musculisque prospicientium, quo sanguinis in cerebrum congestiones, phlogoses, oculorum rubores, capitis cum dolore pulsatio, artuum gravatorum lassitudines ipsoque corde irritato, motus febriles. Tandem huic legi viventibus positae qui obtemperare recusent, vires nerveas sibi exhauriri animumque perturbari sentient. Neque horum organorum finibus continebitur vigiliarum nimiarum pernicies, verum ad vitae conformatricis partes sese extendet, quod laesa digestio ciborum, habitus macilentus, marasmus, ac febris nervosa, corpus lente depascens manifestabunt. Sic ordo ac ratio utrius-

que vitae peribit atque una cum hisce oeconomiae humanae integritas.

502. Et erunt haec quidem graviora, sicubi lucubrationes, studia, nimia mentis contentio, curae edaces, vehemens animi motus vigiliis accesserint. Nam ut labor corporis somnum invitat, sic fugat utplurimum labor mentis.

503. Nimium dormientibus nervorum, musculorum, totius vitae animalis et mentis ipsius torpor, hebetudo, signities, vitae plasticae exuberantia, telae cellulosae, adiposae luxuries; languens deinde, ob languentem nervorum, musculorum actionem et deficientem legitimam a rebus externis incitationem vitalem, circulatio, respiratio, calor; hinc pallor, frigus, leucophlegmatia, hydrops.

504. Denique etiam tempora vigilandi dormiendique, naturae lege statuta, religiose servanda. Nempe interdiu vigilandum, noctu dormiendum, quam qui invertunt legem, male sibi consulunt. Nec vigiliarum somnique ratio, aut gradus negligendus. Quae quiete et otio torpent vigiliae, nervorum vitam non satis excitabunt; nec reficiet somnus lenis nimium, aut turbatus insomniis, non plenam afferens vitae animali vacationem laboris. Nec repentina dormientis ex somno excitatio sine periculo est, nervos terroris instar percutiens graviter.

505. Ex quibus efficitur, praecipua, quae ex hoc

fonte emanant mala, sensuum, motuum mentisque officinam potissimum, vitamque animalem spectare et ab huius maxime ratione pendere. Cur junioribus, feminis, nervosae temperieï hominibus, litteratis maxime noceant vigiliae? Cur corporis labor somnum invitet, fugiat labor mentis? Quodsi tandem inter duo tantum extrema eligendi optio daretur, quid praeponendum? Unde illud Catonis, viro sapiente perdignum:

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

AETIOLOGIA PSYCHICA.

ANIMI PERTURBATIONES.

506. Mens sana in sano corpore perfectae exhibet sanitatis humanae exemplar. Haec quidem rara inter homines felicitas, quorum animus φιλαυτία deperiens, multis perpetuo affectibus commotionibusque perturbatus, etiam corporeae vitae harmoniam turbare consuevit. Ut adeo, quâ est utrumque hominis principium arctissimâ societate conjunctum, non mirum sit, a mente toties corporis labefactari valetudinem.

507. In psychen intuentes tres inprimis discernimus, quibus praecellit dotes: sensum, sive animum, mentem, voluntatem, quarum quaevis va-

letudinis praesidia quum esse debeant firmissima, saepe hominum perversitate pessimae fiunt caussae morborum.

508. Animus quando sui conscius sibique imperans pulcri, veri, boni sensu movetur sanus, quando pravis rerum turpium, falsarum, inhonestarum cupiditatibus abripitur insanus, aeger recte et habetur et dicitur. Talis animi commotio vehemens, eius tranquillitatem turbans, quae opinione magis, quam ratione regitur sensuque grati et ingrati, quam aut pulcri, aut veri, aut honesti, ipsius adpellatur perturbatio.

509. Quae a corpore sensuque corporeo non minus, quam a rebus externis proficiscitur et morborum corporeorum uberrimus fons est.

510. Et primo quidem hic notandus sensus communis, cuius ut levior excitatio sanitati proficua, ita torpor, anaesthesia non minus obsunt, quam acuties nimia, hyperaesthesis, dolor. Illa vitae taedium, actionum organicarum languorem, cachexiam, hydropem, infarctus, multiplicem nervorum organicorum, vasorum omnisque vitae plasticae valetudinem, haec instinctus corporei in animum dominium, passionem hypochondriacam dolores, spasmos, pervigilium, cerebri morbos concitabit.

511. Animi torpore, apathia, hic et cor et corpus universum frigescere primum, dein languere, tandem solvi; contra animi nimia incitatione ipse

commoveri, ipsius pathemata nasci, mens, voluntas debilitari, opprimi, plane tolli, ad insaniam, melancholiam, maniam, sique in rebus sublimioribus contemplandis versatur, ad mysticismum abduci solet. In corpore ista nimia incitatio animi, ut sensus communis nimia actio, genus nervorum vegetativum quodque ipso regitur genus vasorum horumque et omnia reliqua munera, quibus vis conformatrix praeest, multis modis mutat. Ab hoc fonte animi pathemata ducuntur, quorum nimius impetus viro magis adultoque, quam aut feminae, aut puero pertimescendus.

512. Istorum pathematum vis atque potestas vitam vel excitat, vel deprimit, unde ea in animi affectus excitantes et deprimentes non inepte discriminaverunt. Illorum prompta, brevis, acuta vis est, horum tardior magisque continua, chronica, illa animum omnemque vitam explicant, haec contrahunt. Quocirca, licet utrique nervorum organicorum provinciam occupent, illis motum esse a centro ad peripheriam, hisce a peripheria ad centrum dicitur.

513. Itaque affectus excitantes actione peripherica in superficie maiorem concitant vitae actionem, in nervorum finibus quique his reguntur, vasorum extremis capillaribus, unde impetus sanguinis maior, uberior secretio, auctus calor turgorque vitalis atque alteram etiam nervorum provin-

ciam invadentes in systemate motorio, sensorio, cerebrali motus cient spontaneos, automaticos.

514. Deprimentes contra vim nerveam accumulant in singulis systematis organici partibus: unde sanguinis in locum affectum congestio, a reliquis derivatio, revulsio, illius tardior motus, vitaeque plasticae in omni corpore, praeter unam hanc partem, decrementum, mente simul in rem unam defixa, hanc solam curante, caeterum frigescente, torpida.

515. Affectus excitantes, subinde salutares, vigentem corporis valetudinem sustentant, labantem restituunt morbisque medicinam parant. Sin vero nimii, congestiones, inflammationes, febres aut virium imbecillitas earum incitationem sequuntur, aut uno ictu nervorum, cerebri vitam extinguunt, maxime ubi subitaneus, ab opposito affectu transitus. Frangunt praeterea rationis imperium, sensuque rerum potito, mens distrahitur, ad insaniam adigitur.

516. Oppositi deprimentium effectus. Ab initio vitae plasticae languorem efficiunt, circulationem, nutritionem, secretiones cohibent, vitia organica creant; in gravidis morbos congenitos foetus ac monstra, ab impedita evolutione, nisu formativo imbecilliori; inque ubera infanti praebentibus pravam lactis indolem, quae vomitum, diarrhoeam, inferet, aut convulsiones, epilepsiam, mortem.

517. Duobus generibus summis cuncta compre-

hendi possunt gaudio atque tristitia, quorum comites amor et odium.

518. Gaudio magna vitae plasticae oboritur alacritas, quam aucta sequitur circulatio, respiratio, nutritio, secretio ipsaque systematis spinalis motorii effusio in risus, fletus, saltus, cantus, sermones, quippe ut vinum exhilarat mentemque obnubilat. A plexu coeliaco orsa incitatio acuit adpetitum, absorbtionem, motum peristalticum, secretiones externae internaeque cutis, inde ad pectus, cor, pulmones, caput, vultum, oculos, artus progreditur et ex hisce quae provocat mala, ubi modum excedit, repetenda: in canali cibario alvi profluvia, in genere vasorum congestiones, eurysmata, rupturae cordis, haemorrhagiae, phlogoses, febres, in musculis convulsiones, spasmi, epilepsiae, in cerebro paralyses, apoplexiae, in mente, stultitia, stupor.

519. Tristitia inverso motu nervorum potentiam a corporis finibus repellens, ad reconditas viscerum sedes detrudens, coctionem cohibet, secretiones, excretiones minuit, circulationem, pulsum retardat: unde pallor, macies, vultus, oculus moestus, sphincteres coarctati, frons contracta, adspectus torvus, musculis artuum laxis, pendulis, mente in se replicatâ eiusque vi fractâ. Ita a genere sympathico aegrotante neuroses chronicae: a plexu coeliaco hypochondriasis, hysterica passio,

somnambulismus, a nervis ciliaribus amaurosis; a plexu gastrico, hepatico, splenico dyspepsia ipsoque genere vasorum, tum venarum, tum arteriarum in mali societatem veniente, congestiones, infarctus, varices, cachexiae: scorbutus, chlorosis, hydrops, aut inflammationes chronicae occultae, vitia abdominis organica, scirrhi, tandemque absorbtione nutritionem superante, marasmus, quam indicabunt habitus corporis, canities, calvities, et melancholia, monomania saepenumero comitantur.

520. Ad gaudium et tristitiam eorumque comites amorem et odium reliqua quaevis animi pathemata referri possunt: spes, desiderium, misericordia, aemulatio.

521. Discrepant tamen inter se regionum corporis, ad quas eorum actio potissimum pertinet, diversitate, sive abdomen fuerit, sive pectus, seu caput, et unde initio ducto reliquas, etiam remotissimas partes aggrediuntur. Ad primum ira, indignatio referuntur, ad alterum audacia, metus, ad tertium superbia, pudor. Ex hisce ira, indignatio ad plexum coeliacum, hepar, lienem; audacia, metus ad sympathicum thoracis et vagum organaque vitalia: cor, pulmones; superbia, pudor ad nervum trigeminum, faciem, oculum praecipue pertinere creduntur.

522. Ira, offensam seu vera sit, seu ita videatur,

repellendi conceptus ab animo impetus bilem movet atque aucta, mutata hepatis vita, eius auget, mutat secretionem. Itaque bilis acrioris vomitum concitat, diarrhoeam, dolores cardialgicos, colicos aut viis spasmo, quasi injecto vinculo, clausis icterum. Praeterea alias etiam secretiones pervertit, nutricum lacti, salivae virus infundens mortiferum. Et vasorum genus irritans vel in caput explodit, vel in abdomen, congestiones suscitat, haemorrhagias cerebri, jecoris, aut febres inflammationesque praesertim hepaticas, et in organis motoriis convulsiones, epilepsias ipsamque mentis arcem invadens maniam. Indignatio, ira suppressa, actionem hepatis cohibet, lienem excitat, sanguinem in portarum venam congerit. Vultus nunc rubet, nunc pallet, rigent artus, tremunt vox, lingua, fremit os, torpet hepar, bilis decomponitur, in calculos concrescit, systematis portarum infarctus, congestio lienis, haematemesis, viscerum abdominis vitia organica fiunt, nervorum resolutio, monomania.

523. Qui voluntatis sunt affectus: audacia, metus ad pectus, huius nervos, vasa, cor, pulmones pertinent. Audaces, fortes, externo pectoris habitu, voce, et arteriarum musculorumque ratione discernuntur, quod cognita inter spirandi movendique officinam cognatione, intelligitur. Impetus vitae a vago, sympathico, pulmonibus, corde orsus movendi organa, artus petit, nervos vocales incitat et fa-

cialem, qui spirandi motus in facie regit. Validiori sanguinis circulatione increscunt calor, turgor vitalis, rubor, pleniusque nutritur musculorum genus. Vix corpus laedet, nisi nimia interdum cordis pulmonumque energeia vitali inflammationes harum partium, febres, cordis vitia organica moveat. Huic opposita metus, timoris potentia sanguinem in cor, pulmones repellit, circulationem, respirationem opprimit, quare pallor, frigus, horror, pellis anserina, alvi, urinarum fluxus metus indicia, ipsique capilli albuisse visi sunt. Fracto musculorum robore, tremores, stridores dentium, oculorum inconcinnam mobilitatem, auditus fallacias efficit, artus solvit animumque consilii inopem reddit.

A terrore similia, sed graviora: congestio ad pectus, anxietas, cordis, vasorum aneurysmata, rupturae, haemorrhagiae, paralyses cutis, sphincterum, cerebri: unde sudor frigidus, viscidus, os, oculi patuli, excretiones praeter voluntatem, apoplexia, insania.

524. Affectus, qui mentem spectant et intellectum, in capite resident atque ad sui existimationem respiciunt, declarantes, quo loco se ipsos habeant homines, sive summo, sive infimo. Cuius generis sunt superbia, pudor, in oculo maxime sese exprimentes. Huius praecipua in trigeminum actio et ubi cum audacia, vel metu jungitur, in facialem

pariter. Superborum alta supercilia, oculi lucentes, capita erecta, altum spirantium respiratio, circulatio, vita intenduntur. Animo magis, quam corpori officiens, nisi, per affectus socios irae, iracundiae, gaudii, vix valetudinem laedit. Pudentibus contra maiores in corpore noxae. Nunc rubore vultus suffunditur, nunc exanimatur pallore, oculus moestus, demissus vultus, caput pendulum satis, quam deprimat vitam pudor, testantur, nec mirum proinde sensuum obnubilationem, vertigines, animi deliquia ex pudore nasci huncque animi habitum ad vitae taedium et suicidium ducere.

525. Atque hae animi perturbationes diversimode mixtae, aut alternatim subitoque sese excipientes corpus ac mentem aegrotare faciunt, aut convalescere, altero alterius incommoda tollente, ex iisque compositarum noxae petendae, ut quae mala sibi parent gloriae, honoris, imperii studio abrepti, amantes, aemuli, invidi, voluptatum, opum, divitiarum servi, cum maxime declaretur.

DE IIS, QUAE CORPORI A MENTE ACCIDUNT NOXIS.

526. Mentis corporisque salus in justa virium aequilibritate (ἰσονομία) ponitur, quam sive corpo-

ris animique affectus tollant, seu immodicae corporis voluntatisque reactiones, seu nimia denique mentis contentio, illa tuta esse non poterit.

527. Sicubi mens praeter naturae modum exercetur, sensus, animus, voluntas opprimuntur, nascuntur ideae fixae, quae dicuntur, atque ex summa, nec intermissa contentione stupiditas. Ex corporis partibus cerebrum inprimis, mentis organon, huius contentionis potestatem noxiam experitur. Etenim cerebri congestio, hypertrophia, haemorrhagia, mors apoplectica, aut somni turbulenti, insomnia, sensuum valetudines, oculorum inflammationes, vertigines, imbecillitates nimia nimiumque protracta studia sequuntur. Neque hisce partibus circumscribitur huius intemperantiae poena. Musculis imbecillitatem, respirationi, circulationi languorem, alvo torporem, obstructiones, humoribus dyscrasiam, nervis intemperiem infert. Haec eo maiora damna, si accedant curae vigiles animique pathemata, aut studia fiant repugnante natura iisque adversa, nec tempore legitimo.

Neglectus ingenii cultus menti corporique ignaviam ingenerat, obesitatem, tandemque cachexiam, hydropem, universe tamen, nisi musculorum etiam motu neglecto, propter parvum virtutis nerveae dispendium, corpori minus, quam animo nocet.

528. In studiis obest et nimia aequabilitas et

frequens nimisque subita permutatio. Ab illa lassitudo, monomania, nimiave excitatio, aut torpor et in musculorum genere tetanus, catalepsis; ab hac vertigines, sensuum internorum turbae, vesania, fatuitas.

529. Phantasia nimia alacritate, inertia, alienatione peccans, si excedat, vigilantium somnia parit, delirium, insaniam, quin etiam foetui in matris gremio damno fuisse fertur, quodque minus dubium, incendisse libidinem veneream. Si deficiat, corporis animique vita in languorem incidit atque ingenium, quia non alitur, tenue fit et imbecillum. Si aberret, observatio falsa, aut manca, memoriae lapsus, fictiones, vanaeque rerum species finguntur. Phantasiae erroribus animi perturbationes et voluntatis effrenata libido naturae societate cognatae sunt, quae quum in hominum mentes saeviant, repagula juris et officii perfringere, in atrocia quaevis facinora ferri tandemque insanire prorsus eos videmus.

530. A judicio deficiente stupiditas, mentis imbecillitas, vesania, a judicio pravo ingenii morumque perversitas, a nimia abstrahendi facultatis contentione monomania.

531. Atque haec sunt, quae a mente corpori eveniunt incommoda, quorum potior pars turbato utriusque principii concentu, pravo vivendi genere malisque moribus contrahitur, quorumque in reli-

gione, virtute, sapientia, in animi igitur medicinâ praecipuum remedium est positum. Qui sibi imperare suosque effectus regere norunt, ab innumeris malis, nervorum praesertim, immunes erunt, quibus hominum vulgus affligitur.

532. Caeterum, uti tres potissimum sunt nervorum provinciae: vegetativa, motoria, sensoria, ita tribus hisce tres respondent animi facultates: sensus, voluntas, ratio; in singulis hisce rursus reperiuntur, quae singulas regni nervosi provincias repraesentant. Ita in capite sympathico systemati respondet trigeminus, systemati spinali par tertium, quartum, sextum, nervus facialis et hypoglossus, cerebellum denique et medulla oblongata, vago systema organicum cum animali jungente. Quae singulis adjudicantur ingenii dotibus organa, ea multum adhucdum relinquunt dubitationis; melius cognita est organorum sensus corporei motusque cum diversitas, tum conjunctio, in spinae medulla aliisque partibus nerveis, observatione et experientia indagatae. Denique antagonismus nervosi systematis utriusque vitae, tum alter ille mentis voluntatisque antagonismus regno animantium, hominumque morbis, evolutione vicaria spinae et cerebri, et quamplurimis vitae phaenomenis indicatur.

DE CAUSSARUM SINGULARUM VIRIBUS RITE AESTUMANDIS.

533. Hisce quidem potestatibus morbi generantur, nec tamen omnibus omnes, neque omni vitae tempore, aut conditione, quod animadvertisse perutile ad morborum origines cognoscendas omnemque adeo explicandam pathogeniam. Quocirca hic paullisper subsistendum.

534. Morborum atria: cutis et mucosae, caussarum externarum viribus maxime patent, quin tamen sanguis, nervi, omnesque quotquot sunt in corpore partes, ab earum impetu prorsus tutae existimandae sint. Testantur ab unâ parte laesiones mechanicae, ab alterâ animi perturbationes.

535. Earum omnium propria nocendi ratio, propriaeque, quas inferunt, valetudines. Aëris potestates pulmones cutimque, alimentorum canalem cibarium, venena, contagia sanguinem, errores in motu musculos, animi pathemata, vigiliae, lucubrationes nervos ac sensorium commune praesertim laedunt, quamobrem in caussis morborum hasce partes occupantium perquirendis ad eas inprimis res attendendum est, quae singulas proxime tangant, quod in aegrotantium examine magnum profecto momentum habet.

536. Notanda tamen et partium compositio et nexus multiplex, nervulorum propagines cuti, mucosis aliisque intertextae easdemque praeterlabentes vasculorum surculi, quo fit, ut genus nervorum vasorumque pariter rerum nocentium experiatur impetus, quamvis haud eodem gradu, aut modo, atque unius partis affectio in plures semper vicinas, consentientes, munerumve communione socias influat.

537. Itaque, quo maior haec partium compositio quoque arctior et numerosior cum aliis nexus, sympatheia, societas, eo pluribus objicitur caussarum laedentium potentiis, quibus tum inprimis laedetur, ubi ex vitae metamorphosi, crebra exercitatione, ipsius vita increverit, aut contra aetate, fabricatione, vitio congenito, haereditate, valetudine imbecillior exstiterit.

538. Sic uti non omnes homines omni tempore, vitae conditione ab omnibus rebus pariter affici, ita non quivis morbi a quibusvis caussis gigni sustentarique pariter consueverunt.

539. Sequitur inde, certas esse harum conjunctionum leges, certas aegrotandi formas et definitum numerum morborum, quorum quisque propriâ quoque formâ discernitur et suis manifestatur indiciis

540. Denique tenendum easdem illas vires, quae corporis vitam sanitatemque tuentur, etiam nu-

merosis morborum caussis resistere. Vis conformatrix corporis materiem integram servat, laesam redintegrat, nocitura aut assimilando subigit, aut excernendo expellit. Vis motrix renititur aut febrilibus motibus, aut congestione, inflammatione, profluviis concitatis. Vis nervea vel doloribus de periculo monet, vel non removendis malis adsuescit, quibus cunctis non proprio opus erat virium genere, sed communi illo, quo vita sana continetur. Et hoc quidem nomine a mechanismo organismus differt.

541. Atque sic a morborum caussis ad morborum effectus transeundum, quos tradet symptomatum scientia.

SYMPTOMATOLOGIA.

542. Per phaenomena sensibus, rerum testibus, vita manifestatur et morbus, propria vitae species.

543. Phaenomena morborum, quod aegrotis accidunt, adpellantur *symptomata*.

544. Nimirum in aegris mutatus vultus, habitus corporis, sensus, vitae munera eave, quae excernuntur mutatam valetudinem testantur. Haec sive medicus observet, sive sentiat aeger, utrique

morbum indicant, quia adparent illius indicia; medici aut aegri sensibus manifesta.

545. Isthaec morborum phaenomena religiose a morbis ipsis discernenda sunt. Hi a sensibus plerumque remoti latent et mente magis, quam oculo cernuntur. Illa, quae plura atque diversa, si uno sub conspectu ponantur, aptoque colligantur ordine, quid intus agatur, pulchre declarant.

546. Quidquid igitur mutatam morbo vitae conditionem morbumque ipsum extrinsecus sensibus manifestat, *symptoma* dicitur.

547. Huius ad morbum eoque laesam corporis animique valetudinem eadem est, quae effectus ad caussam ratio, nec par tamen, quo cum morbo nectitur, necessitudinis vinculum.

548. Alia nempe ab ipso morbo tanquam caussa oriunda huic formam praebent huiusque exprimunt naturam. Haec *morbi symptomata*, quorum plura esse solent, quia morbus similiter ac sanitas plurium conditionum concursu efficitur. Conjunctis illis morborum characteres signaque constituuntur, quibus alter ab altero dignoscitur. Quapropter etiam essentialia, necessaria, pathognomonica dicta sunt, quoniam ad morbi essentiam necessario pertinent eiusque delineant imaginem.

549. Alia symptomata ad aegrum, ad mutatam in ipso animi corporisque conditionem, minime vero ad morbum ipsum pertinent. Haec *hominis*

aegri symptomata, prioribus longe numerosiora minusque constantia, a morbi symptomatibus plurimum discrepant. Altera cum morbo nascuntur, increscunt, mutantur, altera cum morbo neque adparent, neque evanescunt eoque praesente abesse, ablato superesse possunt. Altera morbi ipsius rationem sequuntur, eadem semper ac numero definita; altera corporis valetudine afflicti conditionem, in singulis variam et perpetuo mutabilem. Quae nisi perperam confudissent nosographi, accuratiores longe extitissent morborum cum definitiones, tum descriptiones, a quibus solis sperari licet, quam optamus, historia naturalis morborum.

550. Haec hominis aegri symptomata, a vita duplici in corpore (§ 53, 54.) orta, morbum, tanquam vitam alienam corpori inhaerentem vitamque communem diversimode afficientem accusant; unde et sympatheia partium et renisus commovetur.

551. Ex hoc duplici fonte duplex manat horum symptomatum genus, alterum *sympathicorum*, quorsum pleraque symptomata symptomatum, antiquioribus pathologis commemorata, referenda sunt, *activorum* alterum, quae quatenus vitae communi opitulantur eiusque energeiam ostendunt, *synergica* vocabimus, aliis auxiliaria dicta, aut minus recte salutaria naturae molimina.

552. Sympathicorum numerum definiunt morbi natura, partis aegrae cum aliis consensus, nexus, fabrica, dignitas, periodus et metamorphosis vitae.

553. Ratione originis vel a consensu, vel ab antagonismo partium proficiscuntur. Illius generis est laesus a ventriculi valetudine adpetitus et oris sapor, huius a cerebro commoto exortus vomitus.

554. Ratione effectus denique vel dynamica tantum affectio sympathica est, vel organica, novo morbo novisque symptomatibus concitatis. Hi morbi secundarii, non morborum tantum, sed symptomatum etiam sequelae, quales natae ex tussi haemoptyses, herniae.

555. Subinde mutata organi vita ex morbo, aetate, sexu, temperamento, consuetudine, adsociatione, vivendi genere novos lusus sympathicos concitat.

556. Inprimis vero ad elementa organica: membranas, nervos, vasa, cum inter se, tum cum aliis conspirantia, et partium munera analoga, aut opposita advertendum, ut lusus isti aut sympathici, aut antagonistici in morbis legitima interpretatione illustrentur.

557. Nempe sua est menbranis mucosis, serosis, fibrosis sympatheia cum inter se, tum cum reliquo organismo, sua textui celluloso, sua vasis, musculis, nervis, visceribus, glandulis ipsisque

durioribus ossibus et cartilaginibus, sua organis ad unum munus, ad unum genus, ad unum apparatum pertinentibus; pariterque suus est contextuum, partiumque externarum periphericarum et internarum centralium antagonismus. Nec desunt sympathiae acquisitae habitu, consuetudine, associatione provocatae et nati ex hisce morbi habituales, quorum a periodica naturae organicae ratione et consuetudinis in ipsum summa efficacitate ducenda est explicatio.

558. Alterum genus symptomatum, non ad morbum, verum ad aegrum, in quem cadit ille, pertinentium complectitur ea, quae activa dicta sunt, nobis *synergica*, ut a *sympathicis* affinibus distingueremus.

559. Ea nequeunt a vita abesse, hâc positâ ponuntur et cum hâc solâ prorsus exsulant. In aegrotante maxime infirmo pariter ac prospere valente robustissimo eiusmodi renisus vitales praesto sunt, quibus vita communis alienam vitam aggreditur seseque adversus rerum externarum potestatis inimicas tuetur.

560. Non bruta homo machina est, quae injurias a rebus noxiis sibi illatas iners excipiat ac patiatur. Mens intus est, quae molestiis ex morbo sibi natis exagitata, anxia, quas habet in corpus agendi vires, intendit ad repellendum hostem. Corpus ipsum et sua praeditum est incitatione,

quae moderata quidem in prospere valentibus, acrius insurgit praesente malo irritata, inque enormes saepe impetus abripitur, ut morbi insultibus sese opponat. Consensus etiam hic datur ac mutua partium conspiratio, qua uti unum aliquod constituunt, idemque integrum servare nituntur, ita cum earum alicui noxa imminet, aliae, nec raro omnes, junctis viribus, laboranti succurrunt, communem in privata cuiusque et propriam in sociarum salute propugnantes. Hisce igitur viribus instructa hominis natura caussis morborum non modo resistit, sed cum his etiam congreditur initoque conflictu vim vi opponit. Quod cum aequabili, quo in sanitate fluunt, actionum tenore efficere nequeat, insolitos ciet motus, turbasque facit turbis a morbo concitatis non raro majores, unde alia super alia symptomata accumulantur. Gaub. § 99.

561. Sedem ea habent et originem in vitae vegetativae officinâ, eius nervis, musculis, partibus secernentibus, excernentibus, potissimum vero in genere vasorum. Hinc mutatus sensus organicus, novique adpetitus et aversationes, hinc motus spasmodici, convulsivi, automatici: rigores horrores, hinc vomitus, alvi fluxus, cholerae, sudores, exanthemata, abscessus, hinc haemorrhagiae, inflammationes, febres et quidquid armorum natura medicatrix habeat.

562. Communes maxime formae, quas virium renitentium actio induit, a sanguine mutuat, communi vitae fonte eiusque praecipua instrumenta vasa sunt sanguinem vehentia. Itaque inflammatio et febris maxime propriae sunt renisus vitalis formae, utraeque ad eandem naturam phlogisticam revocandae eaque cognatione junctae, ut illam febrim topicam, hanc inflammationem generalem nonnulli adpellaverint. Earum quum tam late pateat per morbos dominium, quorumdam error natus est, omnes esse ab inflammatione valetudines. Hi remedium confundunt cum morbo. Nec minus tamen illi errant, qui nullas esse phlogoses protopathicas putant, aut qui nuper hasce ipsas a virium vitalium incitatione proficisci omnino negarunt. Ex opinionum lucta emerget veritas.

563. Natura aegri, vitae energeia, morbi latitudo, indoles horum symptomatum vim et numerum definiunt, quorum eo utilior est medico cum observatio, tum distinctio, quo maior ad morbos sanandos efficacitas quoque saepius hic imperiti peccant, innoxia metuentes, medicatis naturae motibus resistentes, crises, quae prudenter regendae sunt, turbantes.

564. Falluntur tamen, qui horum symptomatum metaphysicam interpretationem quandam adhibent. Iisdem moderantur, quibus sanitas vitae legibus et ab iisdem viribus repeti debent, ut non mirum

sit, in adversa valetudine, hosce motus vel modum excedere, vel justo debiliores esse, vel minus congruentes in partes dirigi, vel ipsa damna corpori inferre posse, raramque esse sine vulnere victoriam.

565. Hac symptomatum expositione liquet, omnia quidem aegris evenire occasione morbi, non tamen omnia eandem cum morbo habere cognationem, aut hunc ipsum medico observatori denotare, ab eoque pari habenda esse loco in praedicendo eventu, arteque facienda.

566. Alia nempe necessaria sunt morbi respectu, alia non sunt. Illa (etiam essentialia, primaria, pathognomonica vocant) talia sunt, quae morbi genus et speciem distinguunt, unde morborum characteres certi ac stabiles ducuntur.

567. Alia non necessaria, in diagnosi morborum nullius, in prognosi et therapeutice maximi saepe usus. Huc alter fons symptomatum, quae hominis aegri et sunt et dicuntur, spectat.

568. Necessaria porro alia omni tempore necessaria sunt: haec constantia perpetua simultanea; alia certis tantum temporibus adstricta; haec temporaria, generis tamen et specieï charactere perennante. Ut enim non idem semper vitae vultus, sed varius, sic dispar quoque morbo nascenti, adolescenti, adulto, senili. Oritur, viget, declinat, occidit, sua stadia decurrens morbus suisque

stipatus symptomatibus, quae singulas vitae ipsius periodos comitantur. Rem illustrant intermittentes febres et exanthemata febrilia.

569. Efficitur iis, quae (§ 542—568) dicta sunt, haec symptomata non tantum observanda esse medico recte curaturo, sed interpretanda eorumque perscrutandos fontes, discrimina, nexus cum inter se, tum cum morbo, ut quid singula, quid juncta significent, intelligatur.

570. Hanc *φαινόμενων* scientiam tradit ea pars pathologiae, quam symptomatologiam vocant, in qua uti naturae morbo afflictae voces, vocabula, signa ab origine repetuntur ac legitima ratione explicantur, ita eiusdem etymologia et grammatica dici haberique posset.

571. Idcirco huius non minor est, quam aetiologiae dignitas, et utilitas summa ad morborum scientiam, eventuum praesensionem et curationem legitimam, earum praesertim valetudinum, quae compositae indolis sunt, et complicatae, quales pleraeque esse solent, ad persequenda ipsarum incrementa et ab una ad alteram oeconomiae partem progressus, ad accuratam denique distinctionem virium in corpore agentium, crisium naturaeque moliminum et ipsorum morbi effectuum et sequelarum.

572. In his cum sequi ordinem placet, qui a vi-

tae plasticae sumpto initio physiologicae respondet actionum vitae interpretationi naturaeque judiciis.

SYMTOMATA VITAE PLASTICAE.

CONCOCTIONIS MORBOSAE SIGNA.

573. Corpori, ne vitae perenni motu pereat, alimento opus est, ad quod capiendum invitant et voluptas et dolor, ex fame sitique natus.

574. Hi sensus naturae, multum varii, etiam in prospere valentibus, in aegrotantibus aberrant plurimum vel excedentes, vel torpentes, vel alienati. Excedunt in bulimo, fame canina, lupina, torpent in anorexia, apositia, abludunt in κίττα, pica, malacia.

575. Quae ut singula differunt, cuncta eo nomine conveniunt, quod ponant nervos ventriculi quacunque ratione affectos, per idiopatheiam, sympatheiam, protopatheiam, deuteropatheiam, quarum neurosium interpretatio ab ipsius ventriculi anatome et physiologia ducenda est.

576. Ventriculus, organon compositum membrana mucosa, musculari, serosa, numerosis vasis sanguiferis, lymphaticis nervisque tum a decimo nervorum cerebralium pari, tum a plexu coeliaco nervi sympathici magni, vitae plasticae commune quoddam sensorium, cum omnibus ferme corporis

partibus multiplici vinculo jungitur: cum cerebro, pulmone, corde per nervum vagum, cum hepate, liene, renibus, genitalibus per sympathici plexus, per vasa et fabricae similitudinem, ut intellectu facile sit, has naturae voces non unius ventriculi esse, sed multarum etiam remotissimarum partium, plurimumque difficultatis habere, earum sensum capere.

577. Appetitus, sive fames aucta vel verax est, vel mendax. Verax, ubi ab inedia, vacuitate, inanitione, post magnum corporis motum, laborem, alvi profluvium, lactationem similemque excretionem auctam. Mendax, ubi nullae eiusmodi caussae praecesserint tumque vel ab irritamento, succo gastrico acriori, colluvie varia, acribus ingestis, entozois, vel a nervis cerebroque aegrotante, in hystericis, hypochondriacis, epilepticis, maniacis proficiscitur. Illius species bulimus, cum esuriem non satiatam animi deliquium sequitur, ab acido, vermibus, intenso frigore, summis laboribus, inedia; fames canina, lupina, ingestis vomitu, alvo celeriter ejectis, a ventriculi intemperie, imbecillitate, aut impedita chyli absorbtione, aegrotantibus mesenterii glandulis, fiunt. In hisce et musculus ventriculi in consensum rapitur, qui in lithophagis gallinaceorum ventriculum torositate aemulari visus est, ventriculo ipso interdum contracto, interdum latiori, pyloro amplo.

578. Anorexia morbum ventriculi, haematoseos, vel generis nervorum accusat. Ventriculo inflammato, scirrhoso, aphthoso, atonico, paralytico appetitus deletur. Deletur menstruo gastrico, bilioso-pancreatico nimis diluto, potione tepida, larga, aut non satis copioso, aut pravo. Humoribus aliorsum avocatis, in crisi acutorum, languente in chronicis respiratione, circulatione, aut dormiente cerebro, torpente sensu, aut mente alia cogitante in dolore, tristitia, melancholia.

579. Cibi fastidium, apositia, easdem, sed graviores indicat caussas, praesertim affectionem saburralem, nervosam, inflammatoriam, organicam ventriculi, intestinorum, nervos paralyticos, mentem alienatam: in mania, monomania erotica, religiosa, alia, taedio vitae. Cibi singularis aversatio a morbo nata, saepe naturae vox est, cui obsequendum.

580. Eiusdem ferme originis est appetitus depravatus, qui si cum aliorum ciborum fastidio, aliorum cupiditatem vix satiandam jungat, *malacia*, sin vero in horribilia feratur *pica* dicitur; instinctu sive salutari, sive morboso. Quorum appetituum magna pars esse a nervo sympathico, cerebrum et phantasiam feriente, videtur.

581. Sitis humorum defectum significat in ore, faucibus, canali cibario, corpore reliquo, ex morbo acuto, chronico, secretionibus, excretioni-

bus nimium copiosis: in sudatione, alvi, urinarum fluxu, hydrope; tum acria ingesta denotat, humorum dyscrasiam, spasmos, alio in aliis potulenti genere explenda.

582. Sitis absentia, adipsia, etiam morbosa est, ubi praeter rationem in morbis acutis, vigentibus observatur, aridis faucibus, ore, lingua, ponitque aut paralysin, aut delirium; morbo vero declinante in bonis signis numeratur. Quandoque ab uberiori muci, salivae secretione est: in febribus lentis, mucosis, aut blennorrhoeis chronicis, subinde ab aucta absorbtione cutanea. In illis humescentibus faucibus, lingua totoque ore interno crisis exspectanda, in hisce muco parcius secreto ac redeunte siti sanatio. Quandoque peculiaris potionis appetentia salutaris: acidulae, refrigerantis in febribus inflammatoriis, biliosis; vini contra in adynamicis.

583. Manducationis apparatus partim mechanicus, partim chemicus, cui par quintum, trigeminum, praeest, utraque portione sensoria atque motoria, accedente sympathico, laeditur mandibularum fractura, luxatione, carie, ancylosi, dentium dolore, infirmitate, defectu, musculorum illas partes moventium vulnere, inflammatione, spasmo, paralysi, oris, labiorum, buccarum, linguae vulnere, inflammatione, ulcere, excoriatione, aphthis, tu-

more, ἀγκυλόγλωσσῳ, mutilatione, glandularum denique et humorum salivalium vitio.

584. Deglutitio magnam requirens virtutis nerveae, musculosae contentionem magnumque musculorum conspirantium numerum, male fit palato, lingua, larynge, oesophago et reliquis musculis partibusque vicinis inflammatis, vitio organico, spasmo, atonia, paralysi afflictis. Quorsum pertinent angina multiplex, oesophagitis, vulnera, ulcera, aphthae, excoriationes a morbo, acribus, venenis; induratio, scirrhus, tumores glandularum, arteriarum vitia, aneurysmata, pharyngocele, gangraena faucium, passio hysterica, hypochondriaca, hydrophobia, apoplexia, neuroses acutae, chronicae, torpor senilis. Quanta autem diversitas est partium, interprete anatome, tanta est naturae laesionum, ut alia sit a vasis, alia a nervis, alia a musculis, ossibus, cartilaginibus, a mucosa, cellulosa, glandulis alia dysphagia, quam reliqua symptomata declarabant.

585. Digestionis laesae, sive dyspepsiae symptomata; sensus molestiae et ponderis post pastum, ructus, flatus, borborygmi, sapor oris depravatus, anorexia, carebaria, abdominis dolores, epigastrii tensio, horripilationes, lumborum, artuum gravitas, alvus irregularis, a ventriculi fabrica, munere cumque universo corpore nexu et consensu repeti sat commode possunt. A nervo vago

vitae animalis affectus, a nervo sympathico vitae organicae; mucosa ventriculi cum oris, faucium, linguae velamento, reliquis mucosis, cute consentit. Caetera numerosi nervorum in abdomine plexus explanant. Sensus molestiae, ponderis in praecordiis virtutem nerveam ingestorum mole, cruditate, insalubritate, succorum inquilinorum ab irritatione mutata, depravata indole, aut animi perturbationibus oppressam fractamve significat. Ructus, flatus, borborygmi, abdominis dolores, epigastrii tensio, alvus irregularis, alimenti fermentationem, secretionem morbosam, alvi inferioris affectum sympathicum, deuteropathicum testantur. Sapor oris alienatus, anorexia, gustum organicum animali praevalentem; carebaria encephali, horripilationes cutis, gravitas lumborum et artuum harum partium consensum indicant. Respirationis, circulationis turbae ab organis vitalibus per nervum vagum conspirantibus, urina turbida a mucosa est, utque impetu in cerebrum facto symptomata capitis, in pulmones respirationis turbae, in cor motus febriles, sic ad duodenum per pylorum ubi progreditur, hepatis vita vitaeque munera afficiuntur, unde bilis aucta, mutata secretio, in ventriculum, intestina effusio, vel et icterica cutis flavedo. In dyspepsia enim vel portio cardiaca ventriculi, vel pylorica, vel utraque aegrotat, illi nervus vagus, huic nervus sympathicus magis

imperat, illa cum oesophago, liene, organis vitalibus, cerebro magis consentit, haec cum duodeno, hepate, visceribus abdominis: unde varia symptomatum ratio. Ructus, sapor acidus et acor primarum viarum, quae dicitur, saepius ab irritato, quam ab infirmo stomacho esse, recentiorum inventa suadent. Hoc maxime sensu tum locus Hippocraticus: acido primarum viarum laborantes raro pleuriticos fieri, tum emeticorum in pleuritide a nonnullis celebratae laudes, ex systematis serosi et mucosi antagonismo scilicet, forsitan interpretandae sunt.

586. Hac ventriculi contemplatione intelligitur, non tantum ab ingestis ipsaque huius visceris protopathica, idiopathica, sed et deuteropathica, sympathica affectione subnasci dyspepsiae symptomata: a sanguine abundante, deficiente, cordis, pulmonum, aliorum viscerum, nervorum, cerebri valetudine, dolore, inflammatione, catarrho, rheumatismo, podagra, arthritide, calculo simulque perspicitur dyspepsiae ex dynamica ventriculi aegritudine in organicam mutatio, aut phthiseos pulmonalis gastricae origo.

587. Vomitus est eorum, quae cavo ventriculi continentur, aut ex visceribus illuc congeruntur, violenta per fauces, os, nares, expulsio, cuius caussa proxima in motu inverso, antiperistaltico ventriculi posita est, conspirantibus diaphragmate et musculis abdominalibus. In vomitu igitur ventriculi musculus convellitur spasmodico motu.

Sedes in ipso ventriculo est, vel aliis partibus cum ventriculo consentientibus: tubo cibario, pancreate, hepate eiusque vesicula, liene, renibus, cute, utero, cerebro, spinae medulla, nervis. Vomitus idiopathicus ventriculi morbo saburrali, inflammatorio, scirrhoso, acribus ingestis nimioque sensu, aut idiosyncrasia movetur. Sympathicus inflammatione, scirrho, gangraena viscerum abdominalium, hepatis potissimum, uteri, renum, vesicae; calculo urinae, bilis, doloribus colicis, hernia; gravi cephalalgia, cerebri vulnere, commotione, animique pathematibus, affectione nervorum, dolore, graviditate, partu. Cuius symptomatis originem naturamque indicabunt signa reliqua socia, aut, quae praecesserunt in corpore, conditiones caussaeque cognitae. Etiam materieï vomitu ejectae sapor, odor, color, forma spectanda, sive insipidus, acidus, amarus, fatuus, maleolens, sive aquae, cibi crudi, bilis, pituitae, sanguinis, puris speciem exhibuerit, ad pleniorem huius symptomatis interpretationem.

588. Aër elasticus, cavo primarum viarum oberrans, ructibus flatibusque, qui hanc officinam maxime infestant materiem praebet, quae huic a foris invehitur, aut intus ex ingestis, indigenisve evolvitur. Haec ubi collapsu, convolutione, compressione, spasmodica praesertim constrictione gulae, stomachi, pylori, intestinorum coërcita,

novis interim copiis forte aucta, aut in maius volumen dilatata parietes claustri sui urgens, ab his vicissim repressa, tandem liberata impetum concipit datoque exitu prorumpit, aut loco saltem mota per tubum alimentarem vagatur, ructus, flatus, crepitus, borborygmos creat. Augere propulsionem voluntarii diaphragmatis et musculorum abdominalium nixus quoque possunt. Inde uti pro vario impetu muta aut sonora fit explosio, ita quod prodit flatulentum pro diversitate materiae, siccum humidumve esse debet. Ingesta igitur cruda, flatulenta, acria, vitia coctionis, motus inordinati, spasmodici horum viscerum, ex animi pathemate, affectione cardialgica, iliaca, colica huc faciunt, sive flatuosum elasticum subministrando, seu prohibendo, ne tranquille ire, redire, exhalare absorberive queat. Materiem quod attinet, vel gas acidum carbonicum est ex ventriculo, vel azoton, hydrogenium ex intestino. Hoc phaenomenon, recentioribus pneumatosis dictum, ab exhalatione, sive secretione gazosa, nervorum intemperiem secuta, saepius, quam ab ingestis proficisci videtur. Notandum tamen, in ventriculo aut duodeno ex bilis principiis solutis cumque acido succi gastrici chlorico copulatis gas acidum carbonicum secerni, vinculis suis liberatum. Tres igitur huius aëris fontis esse videntur: ingesta fermentationem coctionis sanae loco subeuntia,

humores inquilini, nervorum turbae. Inde in febribus meteorismus, tympanitis ac caeterae pneumatoseos species, quae notatu dignissimae, quod ventriculi coctionis indicia praebent. Ructus diu post coenam ciborum odorem, saporem habentes digestionem torpidam, acidi, rancidi, amari, putridi eorum, quae ventriculo continentur, fermentationem, corruptionem, naturam testantur. Ab hisce, nisi liber conceditur exitus, intestinorum tormina, inflammationes, herniae, volvuli, anxietates, colica flatulenta, cordis motus irregulares, dyspnoea, vertigo, intestinorum a nimia expansione, atonia, torpor alvique pigritia.

589. Alvus adstricta tot habet caussas, quot conditiones ad alvi excretionem, suo tempore perficiendam, concurrunt. Intestinorum integritas, via aperta, patula, sensus motusque illaesi, sanguinis affluxus legitimus, faeces rite paratae, stimulus a bile. Nascitur a faece sicca, compacta, dura, copiosa, muci intestinalis inopia, intestinis obstructione, compressione, spasmo, concretione, volvulo imperviis, sensu torpentibus, atonicis, paralyticis, in motum retrogradum actis, perforatis, dissectis, bilis absentia, inertia, motus animalis defectu, diaphragmatis, musculorum abdominalium actione languente, aut impedito nixu. In hominibus robustis, senescentibus, siccis, duros labores subeuntibus, durior alvus naturalis, vix dum

molesta. In litteratis ex motu neglecto et vita deside, in gravidis ex utero comprimente est. Cum neurosthenia et phlogosi enteridem designat, cum torpore cutisque flavedine icterum; cum statu nervoso spasmum, cum vomitu et dolore colico ileum, aut herniam. A plumbi veneno, quae pertinacissima est alvi adstrictio, saepe cum vomitu ferreaque pulsuum duritie jungitur.

590. Ileus, volvulus, est vomitus eorum, quae omni inhaerent canali cibario, alvo stricta, gravique dolore et anxietate. Ponit viam spasmo, tumore, inflammatione, obstructione, scirrho, hernia clausam oriturque a motu peristaltico inverso eoque vehementi. Natura mali spastica est, facile tamen inflammationem aut provocans, aut comitans, aut sequens. Convulsio ista musculi intestinalis, nisi inflammationem eamque haud raro brevi excipientem gangraenam induxerit, facile in oppositum vitium: atoniam, paralysin ruit, quam presso pede sequitur alvi profluvium ingens, vix cohibendum.

591. Diarrhoea, alvi profluvium, est frequens et copiosa materiae liquidae per alvum excretio. Motui debetur peristaltico tunicae musculosae aucto atque uberiori humorum in tubum intestinalem confluentium secretioni, expulsioni, etiam aliunde in alvum ruentium. Ingens mucosae intestinalis numerosis plicis, valvulis, cellulis, villis mirifi-

ce aucta superficies, capillarium nervorumque retibus tecta, multiplex eius cum reliquis mucosis, cute, visceribus consensus abunde docent, quod experientiae testimonio firmatur, multas et varias esse huius symptomatis caussas, unde diarrhoea protopathica, deuteropathica, idiopathica, sympathica, plethorica, inflammatoria, ulcerosa, saburralis, catarrhalis, nervosa, atonica, colliquativa. Cum doloribus, torminibus, signis plethorae, congestionis, inflammationis phlogistica, cum statu nervoso nervea, spastica est. Saburralem colluvieï gastricae, catarrhalem catarrhi, rheumaticam rheumatismi, sympathicam aliorum viscerum aegrotantium indicia comitantur. Animadvertenda etiam materies ejecta, utrum faeculenta, mucosa, serosa, cruenta, an purulenta, ichorosa, putrida, gangraenosa fuerit, ex quibus secum invicem collatis profluvii origo, caussa, natura, curatio ducuntur.

592. Dysenteria, vi vocis difficultas intestinorum, est alvus parca, cruenta, frequens, cum dolore et tenesmo. Nascitur hoc symptoma ab inflammatione pura, impura intestini crassi, illius praesertim membranae mucosae, quam exulceratio, excoriatio, aut etiam gangraena sequi solet. Adulta aestate primoque autumno, ubi diurnos calores vespertina excipiunt, nocturna, matutina frigora, laesa cutis functione bilisque offici-

na saepe inducitur, nec raro plures simul homines affligit, epidemica facta, et cum mucosa etiam mesenterium membranaque serosa abdominis inflammatur.

593. Lienteria, laevitas intestinorum, est ubi continere nihil possunt et quidquid adsumptum est, inconfectum protinus reddunt. Subest praeceps nimium motus peristalticus, quo alimenta cruda, incocta dejiciuntur. Pylori laxitas, irritabilitas nimia musculi intestinalis, impedita propter scirrhum glandularum meseraicarum absorbtio caussae huius symptomatis sunt, quod refectionis inopia aegrum aut trahit, aut praecipitat.

594. Fluxus coeliacus, blennorrhoea intestini recti, morbi mucosae phlogistici, catarrhalis, purulenti indicium est, cui subinde glandularum mesenterii sive obstructio, sive atonia jungitur: unde atrophia, tabes, febris hectica, mors.

595. Cholera commune stomachi atque intestinorum vitium, in quo simul et dejectio et vomitus sunt, similibus motibus convulsivis, spasticis concitatur. Hosce vero concit ant nimius pravusque cibus, aut potus, bilis, drastica, inflammatio pura, impura, catameniorum suppressio, erysipelas, rheuma, catarrhus, spasmus, tempestatis autumni tempore vicissitudo, cutis morbus, miasma paludosum, contagium.

594. Alvi incontinentia, stercore aegris insciis

aut invitis elabente delirii, spasmi, paralysis, aut laesi sphincteris ani symptoma est, ex partu, sectione calculi, caet.

597. Ubi faex alvina de urethra, vulva aliave ventris aut pelvis sede, praeter anum, excernitur, id fit vulnere, ulcere, fistula, vel congenito vitio, quae contentis intestinorum alienam viam pandunt.

598. Tenesmus a plexibus pelvinis, propter haemorrhoides, vermes, aliena, irritatis, variorum morborum, nec raro mortis brevi affuturae signum est.

SYMPTOMATA FUNCTIONUM VITALIUM.

599. Abdominis cavitate organa plastica, thoracis vitalia organa includuntur: cor et pulmones, circulationis, respirationis, ipsius adeo vitae fontes praecipui, a quibus musculorum irritabilitas, vigor, motuumque alacritas, naturae vis medicatrix maximeque fida salutis praesagia ducuntur.

600. Quapropter plurimi refert, horum conditionem organorum cognoscere, quam thoracis amplitudo, angustia, conformatioque pulcra, turpis, cumque abdomine comparatio indicabunt.

SYMPTOMATA RESPIRATIONIS.

601. In abdomine paratus chylus sanguinique admixtus aëris actioni submittitur, respirationis beneficio, quo metamorphosi vitali, quam frustra hucusque explanare tentavit chemia, sanguis venosus in arteriosum commutatur.

602. Huic aptus est thorax osseus, septum transversum, musculi intercostales, abdominales, pulmones praesertim, propria spirandi instrumenta, in quos mucosa producitur et vasorum toto tractu intextae propagines, ut sanguis aërem excipiat, quo maxime alitur corpus.

603. Itaque spirandi officina ex plurimis constat, plurimumque diversis partibus: membranaceis, vasculosis, nerveis, fibrosis, cartilagineis, osseis, muscularibus, quarum praecipua est arteria aspera ramosa, caecis finibus terminata ad eamque protensa mucosa. Hae multis patent valetudinum generibus, quorum sua cuivis symptomata, suaeque caussae, sive ab alimento aërio, proprio harum partium stimulo depravato, sive a mechanismo vitiato, sive ab imperfecta haematosi, sive a partium aliarum consensione et antagonismo.

604. Aër vel ad inspirationem ineptus, vel pulmonum sanguinisque vitae infestus molestiam, an-

xietatem, suffocationis metum, asphyxiam, aut intromissus, aut spasmo, quem ipse concitavit, seclusus infert.

605. Absque ullo aëris vitio laeditur haec functio, vitiatis ipsius instrumentis ex laesione mechanica, dynamica, organica: vulnere, fractura, luxatione, ancylosi, congestione, inflammatione, ulcere, spasmo, paralysi, prava conformatione, peregrinis in laryngem, tracheam, bronchia illapsis, sero, sanguine, pure effusis, aut circumfusis, tumoribus internis, externis, tuberculis, steatomate, fungo, aneurysmate, emphysemate, abdominis tumoribus variis ex graviditate, hydrope, tympanitide, infarctu, vitio organico.

606. Laeditur praeterea respiratio, turbata sanguinis metamorphosi, in morbo caeruleo, chlorosi, scorbuto omnique, quae cum dyscrasia et cachexia est valetudine, utque cum circulatione arcte nectitur, ita hac ipsa partim moderatur estque vel cum ea celerior, vel tardior. Celerior in febre, inflammatione et celerum passionum genere; tardior in plerisque morbis longis, vita aut debili, aut oppressa.

607. Est alia a consensu et antagonismo: a ventriculi, hepatis, cutis, cerebri valetudine spirationis laesio, ab affectione gastrica, hepatis inflammatione, emphraxi, ictero, laesa cutis perspiratione, animi commotione, delirio inprimis melancho-

lico, in quo perquam rara est, quum gravi magnoque pathemate mens obruitur. Atque hic notanda stimulorum membranis mucosis, quocunque loco admotorum, late patens in harum partium affectus sympathicos potentia, qua naribus, faucibus, oesophago, ventriculo, intestinis irritatis sternutatio, tussis, nixus organorum spirantium ad vomitum, alvum, urinam, partum suscitantur.

608. Respirationis aegrae symptomata ad pulmonum vel sensum, vel motum, vel vitam plasticam revocari possunt.

609. Sensus a nervo vago est, quo irritato pruritus sentitur, titillatio, dolor, anxietas. Hosce sensus morbosos creant affectiones idiopathicae, sympathicae pulmonum: alimentum aërium dotibus physicis, chemicis peccans, irritans, opprimens; mucosae harum partium ex phlogosi, neurosi mutata perceptio; heterogenea in larynge, trachea, bronchiis haerentia; tumores, tubercula, pus, serum, sanguis, vitia partium vicinarum organica.

610. Motus alternus, quo ducitur aër et redditur vicissem, duplici mechanismo externo internoque perficitur, quorum alterutro laeso spiritus magis, aut respiritus laedetur. Externo mechanismo thoracis et musculorum, quorsum etiam septum transversum spectat, dilatando cavitatem aër hauritur, quem motum impediunt ossium, musculorum,

nervorum, vasorum, pleurae vitia. Internum mechanismum, ad exspirandum factum, trachea, bronchia, horumque cartilagines, textus fibrosus, musculi transversi interni, adjuvantibus abdominis musculis, constituunt, quibus partibus aegrotantibus exspiratio cohibetur, ut est in tussi, fletu, risu, gemitu.

Spirandi motus vel acceleratur, vel torpet, vel abnormis est. Citatior est, aut tardior ex morbo acuto, chronico generis nervorum, vasorum, musculorum, vitio aëris, affectu animi. Turbatur, aut supprimitur in dyspnoea, asthmate, orthopnoea, apnoea, quarum prior dicitur molesta, laboriosa perpetuo respiratio: altera per vices recurrens, cum anxietate, anhelitu, sibilo: tertia cum summa musculorum spirantium contentione, atque imminentis suffocationis metu; quarta ubi spiritus plane intercipitur. Memorandae etiam illae species sunt, quae ab inaequali virium contentione fiunt: obliqua, quae ab uno tantum latere thoracis; abdominalis, quae solo diaphragmate musculisque abdominis; sublimis, quae hisce quiescentibus intercostalium musculorum summique humeri motu efficitur. Caussas habent aëris, vasorum maiorum vitia, laesiones mechanicas, organicas, morbos phlogisticos, rheumaticos, catarrhales, nervosos, hydropicos, humorum secretiones, excretiones, ab-

sorbtiones perversas easque vel singulas, vel utplurimum e multis conjunctas.

611. Eas indicabunt concursus symptomatum. Dyspnoea, orthopnoea, cum tussi, dolore, sub inspiratione, deglutitione et febre, laryngis, dolente inferiori paullo sede, tracheae, cum ponderis sensu molestiaeque, pulmonum, cum lateris dolore punctorio pleurae inflammatae indicium est; quarum in illa virium oppressarum, in hac incitatatarum virium significatio est. Cum statu nervoso per vices rediens spiritus difficultas, spasmi, cum statu gastrico, ventriculi aegrotantis, cum dolore musculorum intercostalium, rheumatismi, cum tumore oedematoso in vultu, brachiis, cruribus et urinarum parciori fluxu, hydropis, cum atrophia phthiseos symptoma est. Respiratio brevis, celeris, cum stertore ac strepitu, paralyseos pulmonum mortisque adpropinquantis signum recte habetur.

612. Jam quae supersunt: tussis, sternutatio, singultus, risus, fletus, suspirium, oscitatio, respirationis abnormis species explicandae.

613. Tussis, quae vehementibus, convulsivis atque iteratis efficitur exspirationibus, a convulsione est musculorum spirantium, eiusque eadem est respectu viscerum thoracis, quae vomitus respectu viscerum abdominis ratio, sive idiopathica sit, sive sympathica: a ventriculo, cerebro, cute,

mucosa aliarum partium concitata, nec dispar effectus in abdominis viscera, intestina, uterum, reliqua. Quae in ipsa nervi vagi irritatio est, ad medullam oblongatam defertur; haec suscitat contractiones rimulae glottidis motusque spasticos musculorum exspirantium, dum sub quavis exspiratione illa clausa antea, aliquantum aperitur et sonum edit. Interdum salutaribus naturae motibus adnumeratur, sputum expellens, aut aliena, quae aëris vias impediunt, sanguinisque impellens cursum; saepius damno est, sanguinem in pulmones congerendo, eius motum cohibendo, musculorum nisus vehementiores excitando, ciendo vomitum, quibus et haemorrhagiae fiunt et prolapsus et herniae et volvuli et abortus.

614. Huic affinis sternutatio, similiter spastica est, seu convulsiva potius expectoratio, praegressa inspiratione graviori, per nares explodens, a nervorum irritatione profecta. Similibus ut tussis movetur caussis, sive in hisce partibus, sive in remotis quaerendis, similesque effectus edit. A cerebro ubi oritur, apoplexiam vel praenotat, vel infert.

615. Singultus est convulsio diaphragmatis eaque ex propria huius musculi aegritudine, vel consensione cum cerebro, hepate, intestinis: colluvie gastrica, vermibus, aphthis obsessis, aut gangraenescentibus.

Suspirium respirationem languentem et tardum

sanguinis per pulmones trajectum designat, a suppressa, aut torpente nervorum in organa spirantia actione.

Risus et fletus praeter voluntatem, a genere nervorum sunt, in hysterica, hypochondriaca passione, mania aliave neurosi, irritato.

Oscitatio, pandiculatio, ut suspirium, languentem respirationem et circulationem testantur, nec raro illa paroxysmum febrilem morbive spasmodici insultum aut praecurrit, aut claudit; utraque a nervorum torpore, quacunque caussa inducto, subnascitur.

616. Respiratio sibilans a spasmo, aut inflammatione organorum vocalium; stertorosa soporis apoplectici comes; strepens, muci, sanguinis, puris, in trachea, bronchiis haerentium, aut resolutionis nervorum, hunc spirandi adparatum animantium, sequela est.

617. Tussi atque expectoratione ubi ejicitur mucus, sanguis, pus, id variorum morborum: catarrhi, congestionis, inflammationis, phthiseos effectus esse potest.

618. Laeditur in his omnibus vita plastica pulmonum inprimisque mucosae, cuius inflammatione catarrhus, laryngitis, tracheitis, bronchitis nascuntur eiusque vitae mutata ratione, primo vel nihil, vel tenuis humor secernitur, quem sequitur mucus, pus, subinde sanguis, exhalatione, aut

secretione perversa. Est tamen haemorrhagia pulmonalis et spasticae interdum et paralyticae indolis pro varia capillarium nervorumque pulmonalium aegritudine.

619. Praecipue vero in explicandis iis, quae hoc loco tradita sunt, symptomatibus ad compositum maxime nervorum apparatum adtendendum est spirandi organa conjugantem et animantem; in quem finem conspirant facialis, vagus, accessorius, phrenicus multique spinales, quorum facialis ad vultum, vagus et accessorius ad laryngem, pulmones, pectus, phrenicus ad diaphragma, spinales ad thoracis atque abdominis musculos pertinent. Horum motuum actionumque communis fons in medulla oblongata collocatus una omniumque princeps nervus vagus una cum accessorio, huius non tantum functionis moderator, sed nervorum etiam utriusque vitae vinculum videtur. Faciali motus cientur in vultu respiratorii huiusque systematis conditio animique affectus exprimuntur. Vagus cum pulmonibus ventriculum copulat atque et cum sympathico et cum cerebro communicat: sic utramque vitam jungit, quo cognito perspicitur, quare periti medici ex ingenti symptomatum nervosi generis cohorte ea prae aliis metuant, quae nervi vagi provinciam invasisse hostem denotant tuncque conclamatum esse arbitrentur.

DE MOTU SANGUINIS VITIATO.

620. Circulationis organa: cor, arteriae, venae ex fabricatione, situ cumque omnibus fere corporis partibus nexu quamplurimis patent morbis, suis singulis symptomatibus dignoscendis, quae hoc loco interpretanda.

621. Cor, princeps circulationis instrumentum, motum habet vel justo velociorem, vel tardiorem, vel irregularem, auctum, imminutum, deficientem, deletum.

622. Velocior sanguinis motus est in febre, quae si cum pleniore sanguinis habitu cutisque rubore et calore est, inflammatoria adpellatur, vitae renitentis ipsiusque cordis irritati indicium, qua tanquam voce sympatheiam commotam exprimit.

623. Haec irritatio idiopathica, sympathica et sanguine copia, dotibus peccante, ab inflammatione, laesione, animi affectu, alio quovis irritamento: mechanico, chemico, dynamico, caussam proximam semper habebit sive in sanguine eiusque organis motoriis, sive in genere nervorum haerentem. Cordis involucrum pericardium serosi systematis et vitam et morbos ostendit. Cor ipsum organon musculosum, tendineum, nervosum, vas-

culosum irritabilitatis, sensus, contractilitatis laesionibus patens, convulsioni, spasmo, phlogosi, natura sua obnoxium est, neque a vitae plasticae erroribus immune.

624. Palpitatio cordis, ipsius convulsio, motus est huius musculi irregularis, inconcinnus, a turbato genere nervorum, et sanguine abundante, deficiente, mutato, ab eurysmate, osteogenesi praeter naturam, hydrope pericardii, eiusdem cum corde coalitu, quod cor pilosum, a partium vicinarum, remotarum, consentientium pulmonis, ventriculi, cerebri morbo, cuius significabit originem pathos, sive facies morbi universa symptomatumque concursus.

625. Tremor cordis, qui levior palpitatio est, iisdem ut haec caussis iisque contrariis movetur: interdum plethora, viribusque sanguinis mole nimioque stimulo oppressis, interdum inanitione veraque ipsarum imbecillitate.

526. Cordis actio deficit in syncope, leipothymia, quae aliis leipopsychia dicitur atque asphyxia; in prioribus illis multum decrevit, pluribus gradibus, in hac plane siluit, mortis imaginem referens. Huius symptomatis duo maxime fontes sunt: alter in genere nervorum, alter in genere vasorum positus; ab altero animi deliquia hystericarum, quaeque graviores affectus doloris, metus, terroris, gaudii, tristitiae, irae sequuntur;

ab altero gravidarum, puerperarum, inedia, profluviis exhaustorum, ex morbo gravi convalescentium, scorbuticorum, hydropicorum emanant. Quinetiam crebrior syncope vitia cordis organica aut comitatur, aut creat. Quorsum Hippocratis observatio pertinet: *οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς, ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.*

627. Utrum nervi cordis motus regant, non liquet. Per nervos animum in cor influere, illius docent perturbationes, quibus incitantur, cohibentur, pervertuntur, mutantur multis modis pulsus et circuitus sanguinis. In plexus etiam cardiacos multi multumque diversi nervi conveniunt, in quo connubio potior pars a sympathico est, secus atque in pulmonibus, quibus imperat vagus. Cogitanti hanc partem communem officinam esse renisus vitalis et motuum, quibus oeconomiae salus defenditur, manifestum erit, cur tantus sit nervorum in plexus cardiacos concursus.

SYMPTOMATA PULSUS ARTERIARUM.

628. Pulsus arteriarum a sanguine est vi cordis in arterias acto harumque parietes pulsante. Duo in pulsu distinguenda tempora sunt: diastole, locomotio arteriae a sanguinis unda corde pulsa,

systole, ipsius ab elatere contextus fibrosi renitentis ad locum et statum pristinum reversio. Pulsu metimur sanguinis motum, vim cordis, arteriarum elaterem. Mutatur corde, sanguine, arteriis male affectis, aegrotantibus, impedita circulationis via.

629. Cordis vita turbatur aegritudine nervorum: ab animi perturbationibus, dolore, passione hysterica, hypochondriaca, virium nervearum confusione; aegritudine vasorum in congestione, inflammatione, vitae plasticae erroribus, aut partium viriumque consentientium; fibrarum muscularium rheumatismo, spasmo, convulsione, paralysi. Sanguis porro ubertate, inopia, dyscrasia cor aut nimium incitabit, aut non satis, aut stimulo alieno. Arteriarum symptomata nascuntur tum similibus caussis, tum tunicis earum male affectis, praesertim proprio textu fibroso inflammato, emollito, osseo facto. Circulationis via impeditur osteogenesi praeter naturam in corde, arteriis; polypo sanguinis, viscerum scirrho, ulcere, tumore vario, stricturis spasticis, caet.

630. Pulsus differunt numero, rhythmo, magnitudine, robore. Numeri respectu habetur frequens, rarus; rhythmi celer, tardus, intermittens; magnitudinis magnus, parvus, plenus, vacuus; roboris validus, durus, infirmus, mollis.

631. Pulsus crebrior, frequentior frequentiorem

ponens cordis contractionem, nec semper auctum sanguinis motum, aetatis, sexus, temperieï ratione habita, cordis sequitur a sanguine, acri quovis stimulo, motus impedimento, morbo nervorum idiopathico, sympathico, deuteropathico incitationem. In febribus constans saepeque salutaris, activis saltem symptomatibus merito adnumerandus. Utrum topica est, in peculiari systematis arteriosi parte haec pulsuum frequentia et topica febris, quam medici fide digni observasse videntur?

Rarus crebro opponitur tangiturque in morbis chronicis, torpente vita, aut eadem plethora, spasmo, dolore, veneno, animi affectu tristi oppressa. In febribus morbisque acutis saepius bene ominatur.

632. Qui rhythmo aberrat: celer, tardus, intermittens a corde proficiscitur incitato, languente, otiante. Celer diastolis arteriae respectu cum raro conjunctus est visus, cum crebro in febribus et acutorum genere animadvertitur. Uti celer liberam cordis actionem, sic tardus oppressam eandem testatur. Intermittens, quae brevis asphyxia, ex cordis, pericardii, arteriarum principum vitio dynamico, organico, stimuli naturalis defectu, affectione nervorum et propter consensum viscerum abdominis, morbo praesertim gastrico esse consuevit.

633. Pulsus magnus a majore sanguinis unda impellente in arteriam dilatabilem, lethargicis, apoplecticis peculiaris. Saepe et languidus et vel in-

termittens tuncque syncopis instantis index. Si simul validus in acutis bene portendit. Parvus ab oppressione virium in inflammatione, spasmo, dolore gravi, vel ab adynamia in gangraena, febre ardente, putrida, nervosa, morbo longo, prostratis viribus. Validus, fortis, validam indicat cordis actionem, ut parvus debilem. Hic in acutis mortem praesagiens hominibus nervosae temperieï naturalis est. Pulsus plenus, vacuus sanguinis copiam, inopiam, plethoram igitur, inediam, aut spasmum designat. Pulsus durus, ceu chorda tensa digitum feriens, a rigiditate arteriae in corporibus exercitatis, robustis, senilibus, ab ossificationibus arteriarum, a spasmo in doloribus, praesertim colica saturnina, in morbis inflammatoriis, maxime serosarum. Mollis in corporibus laxis, debilibus, hydropicis, inflammationibus parenchymatosis pulmonum, hepatis; in aliis saepe male ominatur; ex duro mollis factus, remissionem, coctionem, crisin significat, nisi parvus simul et debilis fuerit. Notandum denique cuivis morbo suum esse pulsum, huicque signo multum subesse fallaciae a primae officinae praesertim aegritudine et affectione nervorum, ad quem utrumque fallaciae fontem semper in pulsu dijudicando animadvertendum neque obliviscendum est in omni dignotione atque eventuum praenotione uni tantum signo non nimis fidendum esse.

VASORUM CAPILLARIUM SYMPTOMATA.

634. Turgor vitalis, et orgasmus a sanguine sunt maxime vitali, corporis habitum implente, expandente. Sedes horum phaenomenorum est in minimis vasis (capillaria vocant) caussa in eorum nervorumque haec vasa comitantium vita alacriori. Huic oppositus collapsus frigoris, inanitionis, virium oppressarum, extinctarum sequela, in acutis mortis subrepentis indicium, caussas habet orgasmo contrarias: utrumque in eo textu, qui erectilis dicitur, valde perspicuum est.

635. Sanguine ad singulas partes maiori copia et impetu adpellente, fit congestio, inflammationis initium et symptoma perpetuum. Hoc in plerisque vitae actionibus ac metamorphosibus tam ordiendis, quam absolvendis instrumento natura utitur. Nec raro modum transiens morbosa fit, temperatum vitae cursum turbans, sanguinis profluvium concitans, partium integritatem laedens, structuram pervertens aut inflammatione suscitata, aut depravata nutritione. His magnam partem morborum, quos a turbata vitae evolutione repetunt, tribuere oportet. Ab his nascitur mutabilis vitae scena singulis aetatibus, sexu, vitae conditione alia,

eaeque omnem omnino partium viventium contentionem comitantur.

636. Caussa est vel in parte ipsa, stimulo lacessita, vel in parte remota, spasmo constricta aut consensionis vinculo juncta. Nec semper vitae augmento, saepe etiam vitae tonique vitalis decremento efficitur, sanguine vasa relaxata, atonica implente. Haec congestio passiva, quae activam multoties sequitur.

637. Effectus eiusmodi congestionum sanguinis profluvia sunt, per capillarium poros organicos ut videtur exhalati, quae in mucosa potissimum et cute huic affini animadvertuntur. Saepe salutaria, saepius perniciosa, ut ipsae congestiones, a conditione phlogistica, spastica, paralytica generis capillarium proveniunt. In his irritabilitatem et nervorum vim magnam testantur anatomica contemplatio partium, animi commotionum in colorem, vultum, habitum corporis mutandum summa efficacitas, et observatio plurima med.corum, quamvis physiologia experimentalis rem dubiam facere tentaverit. Par ratio est angeiectasiae aut teleangeiectasiae ex capillaribus in textu erectili nimium luxuriantibus.

638. Rubor, dolor, calor, tumor in parte externa designant inflammationem, quibus se pulsatio jungere solet. Hanc uti irritamenta capillarium nervorumque earum comitum movent, ita vitam

declarant capillarium incitatam, auctam, quae sive nimio impetu et plethora, sive vasculorum luminibus vi plastica clausis hepatisationem, gangraenam, sphacelum creabit, seu minori impetu, puris, humoris novi secretionem, seu omni partis organicae fabricatione deleta, scirrhum. Vitam sanguinis et capillarium in phlogosi auctam testantur symptomata, eventus, curatio. Quantopere plastica etiam vita hoc processu mutetur, ostendit sanguinis de vena missi habitus, novorum vasorum, membranarum, partium genesis ac multiplex vitiorum organicorum organorumque parasiticorum genus, inflammationis praesertim chronicae latentisque progenies. Nec nervorum quoque in phlogosi excitanda, sustentanda, augenda moderandaque potestatem facile negaverit, qui in morbis observandis, curandis, paullo diutius atque attenta mente fuerit versatus.

SYMPTOMATA VENARUM.

639. Venarum non alia memorantur symptomata, quam quae ipsarum dilatationem inflammationemque comitantur. Haec phlebitis, illa varix dicitur, gravidis, senioribus, infirmis, in otio degentibus familiare vitium. Phlebitis puerperio, vulnere, contagio praecipue concitatur crea-

toque pure in ipsis circuitus viis eoque cum sanguine commixto mortem minitatur. Praeter varicem alia dilatatio est a venosi systematis luxurie et miro incremento animadversa aliquando.

640. Huic cognata est, quam congestionem venosam vocant, quae si in universum pertineat systema venarum, constitutio venosa existit, vita venarum arteriarum vitam superante omnique sanguine in diathesin venosam inclinante, ut minima etiam vascula hoc vitium teneat, cuius symptomata praecipua sunt venarum turgor, plethora, atri sanguinis profluvia, qualia in morbo nigro observantur, pulsationes, inflammationes, venarum dilatationes, varices, tumores, haemorrhoides quaeque sanguinis stases in portarum vena potissimum producunt digestionis, nutritionis, secretionum mala, temperies melancholica, animi corporisque torpor, quem utriusque habitus, vitae munera, sensus, motus, pulsus manifestant. Solet cum hâc diathesi viscerum abdominis, hepatis potissimum valetudo conjuncta esse, quemadmodum in eius parenchymate venosa stamina praevalent, secus atque in pulmonibus, in quibus arteriosa superant reliqua.

SYMPTOMATA LAESAE NUTRITIONIS ET SECRETIONIS.

641. Digestio, respiratio, circulatio in unum conspirant corporis viventis alendi finem. Quamobrem illis vitiosis etiam nutritionem vitiari necesse est. Quod cognoscitur corporis universi partiumque singularum habitu, macie, atrophia, marasmo, tum etiam cutis vitiis, ulceribus, tumoribus, hydrope, organorum denique metamorphosi morbosa.

642. Macies corporis et cutis ariditas siccitasque languentem nutritionem significant: exuberantem auctus corporis partiumque habitus, obesitas, polysarcia, plethora; depravatam cutis squalor, color mutatus, maculae, pustulae, exulcerationes, tumores glandularum, ossium caries, fungi, caet.

643. Huius generis sunt dyscrasiae a vitiato sanguine, chylo, lympha, sua singulae ratione organismum mutantes et peculiarem ipsi characterem imprimentes, cujus notae scorbutum, syphilidem, scrofulosin ab invicem discernunt, in organis paribus quoque, quanquam alia alio modo nasci aliasque partes potissimum petere solent.

644. Latet quidem multorum prima origo; pleraque tamen vel a pravo victu, vel ab intemperie

nervorum nutritionis processum conturbante, vel denique a contagione oriri videntur.

645. Nervorum vim testantur animi commotionum in vitam plasticam mira efficacitas, paralyseos et universe neurosium multarum in corpore eiusque partibus eventus et marasmus, sive atrophia senilis; nec refutant monstra.

646. Nutritioni cognata secretio iisdem fere caussis augetur, minuitur, pervertitur. Aucta secretio utplurimum a stimulo est auctoque humorum afsfluxu, propter auctam partis secernentis actionem, ex congestione, phlogosi, neurosi varia cumque aliis partibus consensu aut antagonismo. Neque excludendi morbi instrumentarii, quorum in secretionem pariter ac nutritionem animadversa magis, quam rite hucusque exposita est potestas.

647. Minuitur secretio torpente ex stimuli inopia partium actione, neque ipsas satis irrigante sanguine, pressione, obstructione, concretione, collapsu vasorum, nervorum paralysi, vitiata, aut deleta penitus organorum secernentium fabricatione, spasmo, auctis aliis quibusvis secretionibus, morte incipiente. Suppressis secretionibus altera alterius munere fungitur, quandoquidem in tanta organorum secernentium discrepantia interna mucosa conveniunt cuncta; quod nisi fiat, sanguini dyscrasia inducitur propria singulis, quam icterus,

typhus urinosus quaeque eius generis alia sunt valetudines patefaciunt.

648. Pervertitur secretio laesionibus vasorum, nervorum dynamicis, organicis, aëre, alimento, potulento, veneno, contagio aliisque rebus externis permutatis, aegrotante nutritione, dyscrasia quavis corpus occupante.

649. Ab hisce principiis repetenda salivae, muci, succi gastrici, enterici, pancreatici, bilis, sudoris, urinarum, seminis, lactis aucta, imminuta, depravata secretio; puris, ichoris genesis, quae mutatam sequuntur glandularum, membranarum, viscerum atque universi corporis vitam quarumque tanta est, quanta morborum ipsorum diversitas. Docet urina hystericarum, hypochondriacorum, ictericorum, scorbuticorum, arthriticorum, hydropicorum. Nec praetermittendae tamen, quas aetas, sexus, temperamentum, vitae genus, clima ferunt secretionum et secretorum humorum varietates.

650. Perdifficile vero singulas persequi; neque etiam symptomatum loco haberi possunt, nisi excernantur secreti humores, aut retineantur excernendi, ex quorum numero sunt: saliva, mucus, sudor, urina, pus.

651. Nimiam salivam eliciunt glandularum, ductuum vulnera, oris ulcera, aphthae, dentitio, mercurialia, mala abdominis, scirrhus pancreatis, morbus verminosus, hypochondriacus, melancho-

licus. Inopiam eius faciunt glandularum earumque canalium morbi, aliae secretiones auctae quaeque acutis increscentibus, vigentibus propria est secretionum omnium fere praeter urinam suppressio, aut saltem decrementum notabile cum oris, faucium, cutis siccitate. Ipsius naturam mutant permultae valetudines, ut modo viscida sit, modo acida, amara, modo foetida, dulcis, saporis metallici, sanguine tincta, puri, saniei mixta in morbo gastrico, phthisico, icterico, scorbutico, febre intermittente, aliis.

652. Mucus ubertim secernitur in blennorrhagiis, blennorrhoeis, catarrhis et quacunque membranarum ab aëre frigido, humido rerumque acrium, irritantium stimulo affectione. Parcus aut nullus prodit, ubi inflammatio eas partes teneat gravior aut incipiens: utque in catarrhi initio tenuis, sic sub finem crassus, aut puri similis emittitur.

653. Sudor, qui ex corporum et partium naturis differt: copiosus, ubi velocior humorum circuitus: in febrium initio symptomaticus, in declinatione saepenumero criticus, prostratis viribus ominosus, incipiente, aut vigente febre plerumque nullus, cute laxa, multus; in affectionibus catarrhalibus acidum spirans; in febre rheumatica albumine, in paroxysmo podagrico ammonia et salibus copiosis praeditus fuisse fertur et azoton multum e corpore subducere et materiem animalem, etiam

pinguedinem: in ictero flavedine tinctus est, nec raro aliarum secretionum vicem explet. Est etiam sanguineus observatus a mensium retentione atque animi corporisque vehementi agitatione. Praeterea frigidus, viscidus, topicus gangraenae mortisque signum est.

654. Itaque legitima huius symptomatis interpretatio a tempore, copia, dotibus eius petenda, nec non morbis, in quos cadit, quod qui observet, non confundet ille criticum cum symptomatico aut colliquativo, nec hunc promovendo, illum supprimendo nocebit.

655. Perspirationis cutaneae odore solo sagaces medicos exanthemata aliosque morbos mortemque futuram olfecisse pervulgatum est et proculdubio qui emunctae naris sunt, plura detegent eiusmodi morborum indicia, quae alios fugiunt.

656. Cutis accessoria organa: pili, ungues, dentes etiam vitae cutaneae conditionem designant, quod in prospera valetudine aetates testantur, in adversa, morbi cutanei, phthisis, cachexia.

657. Urinae secretio multis modis mutatur et signa praebet plurimi facienda, quae cum ab uroscopis solis adhiberi soleant, a medicis ob id ipsum perperam nimis negliguntur. Eius vel difficilis evacuatio est, vel molesta, vel nulla, sive non secernatur, sive secreta non emittatur, sive praeter voluntatem exeat. Praeterea copia dotibusque

multum disparibus emittitur, ad quae omnia et singula attendisse juvabit.

658. Dysuria, urinae difficultas, dicitur, quum moleste redditur, nec sine magno conatu, interdum sine, saepe etiam cum dolore. Quod si fiat, suspicionem movere debet mechanismi, organismi harum partium laesi atque impedimenti in vesica, urethra, ipso lotio haerentis, sive spasmus, sive torpor, inflammatio, mucosae crassities, vasorum turgor, calculus, tumor vesicae, urethrae, urina muco, sanguine, pure, sabulo commixta, aut justo acrior.

659. Stranguria, tenesmo similis, est perpetuum ad urinam mittendam conamen, quo tamen parum modo lotii et guttatim, plerumque cum ardoris sensu, exprimitur. Lotium acido urico abundans, diuretica acriora, nimius colli vesicae sensus, congestione, inflammatione, ulceratione auctus, mutatus, calculo irritatus caussarum numero habeantur.

660. Ischuria, urinarum retentio, alia vera, alia notha dicitur: vera quum urina secernitur quidem, nec emittitur, notha ubi ne secernitur quidem. Vario ea loco retineri potest in toto a renibus itinere: ureteribus, vesica, urethra et multiplex subesse caussa: spasmus, paralysis, inflammatio, catarrhus, compressio, obturatio, propter harum, aut vicinarum partium tumores, vitia organica, impedimenta mechanica a foetu, calculo, sanguine, pu-

re, muco, faecibus, quibus tamen mechanicis impedimentis spasmus accedere consuevit.

661. In ischuria vera lotium non redditur vitio vesicae, ureterum, renum; in notha vitio renum non secernitur. Huic caussae subsunt raro in renibus, saepius alia sede haerentes: in illis inflammatio est, calculus, congestio, diathesis venosa, haemorrhoidaria; sympathica ischuria est ex infarctu abdominis, podagra, aliis secretionibus, excretionibus, cutis, alvi, perspiratione interna in sudoribus, diarrhoeis, hydrope auctis. In ebriosis, apoplecticis, hystericis ex febre nervosa decumbentibus, a sanguine et vasorum genere, cerebro, nervis aegris hoc symptoma oboritur.

662. Urinae incontinentia, enuresis, dicitur, quum inscio invitoque homine destillat, propter vesicae sphincterem relaxatum, laesum, paralyticum. Origo mali vel in communibus, vel in topicis partium affectionibus quaerenda. Observatur in febribus, omni virtute vitali prostrata, omine lethali, post apoplexias, medullae spinalis laesiones; a delirio, cum minoris periculi significatione; ex ipsa sphincteris resolutione, post partum laboriosum, cystotomiam, inflicta vulnera, contusiones caet.

663. Porro ipsa urina notanda est, quae permulta, limpida in neurosibus, praecipue hysterica passione, parca vero, crassa, turbida in hydropicis, oleosa in febre hectica, saccharina in diabete mel-

lito, sedimento lateritio, ab acido urico cum materie extractiva, in intermittentibus, mucoso, in catarrho vesicae, sanguinolento, purulento, in phthisi renali, numerosas obfert in morbis varietates, necdum satis investigatas aut cognitas.

664. Pus, inflammatione productum, humor sanguini multis nominibus cognatus, phlogisticam corporis valetudinem significans, legitima copia vulnera glutinans, nimiâ sanationi obest, vires pessumdat, accendit hecticam febriculam. Tunc ichor secernitur aut sanies, quod absorbtionem in ulcere vigentem malumque corporis habitum, ut est in scorbuto, syphilide, scrofulosi similibusque ostendit. Huius enim, ut quarumvis aliarum corporis secretionum, ratio ab euexia, aut cachexia vel bona erit, vel mala.

665. In omni interpretando secretionum, morbis alienatarum symptomate ad haec duo advertendum: ad secretionis nutritionisque analogiam summam, qua fit, ut alteram altera definiat; ad communemque, cunctis organis secernentibus telam mucosam, unam efficientem in omne corpus pertinentem, cum cute aliisque mucosis junctam, reliquisque partibus diversimode intertextam membranam, ex quibus multorum phaenomenorum connexiones melius longe perspicientur.

666. Jam ordine sequerentur symptomata generationis, iis, quae ultimo loco tradita sunt, non

uno nomine affinia. Sed quoniam ad aetatem adultam solummodo pertinent et vitam non individui hominis, verum generis spectant, praestabit, de iis, quae ad alias etiam aetates atque vitam singulorum hominum referenda sunt, prius exponere, quam puberum et conjugum mala enarrare, ordinem dictante natura.

DE SYMPTOMATIBUS GENERIS NERVORUM.

667. Symptomata nervorum aegrotantium sensu declarantur aucto, torpente, perverso: hyperaesthesi, anaesthesi, paraesthesi, atque ad duas magnas regni nervosi provincias pertinent: nervorum organicorum et nervorum animalium, laeso vel sensu organico, vel animali. Illius sedes est in systemate nervi sympathici, eiusque gangliis et plexibus numerosis, huius in systemate nervorum cerebralium atque spinalium, ita tamen ut ab uno ad alterum transeat saepe, vel alterum alterius sympatheiam excitet.

668. Sensus, interpretes ac nuntii rerum, partim externarum rerum nuntii sunt, partim internae conditionis organorum. Harum in prospera valetudine nullus, in adversa vero magnus, at obscurior tamen sensus est.

669. Ab hoc organico sensu initium ducere instituti ratio postulat, cuius bene multi sunt a morbis impulsus, ab aliis alii, saepius valde ingrati, molesti, saepe etiam utiles, maximeque salutares.

670. Quorum e numero sunt: aegritudo, pruritus, dolor, anxietas, nausea, appetitus spontaneus, vel spontanea aversatio, lassitudo, horror, rigor, aestus, vitae taedium.

671. Aegritudo omnium creberrima est sensus communis a morbo laesio, oriturque a sensu nervi sympathici ex valetudine corporis ingrate affecto, ad cerebrum delato. Haec prima quamplurimorum morborum index et perpetua comes, si a morbo superest, hunc et non penitus sublatum esse, et brevi reversurum testatur. Obscura hoc nuntio in mente nascitur notio organismi male affecti eiusque laesae integritatis, sive organorum appetitu non expleto sive automatico partium organicarum motu abnormi, sive fracta oppressaque viscerum ipsorumque nervorum vita. Minus arcta systematis vegetativi cum cerebro conjunctio obscuram illius laesi ideam in mente adumbrat. Obtunditur saepius gravioris doloris stimulo, delirio, comate nimiave vitae incitatione, ubi inflammatio, valetudo nervorum, apoplexia, phthisis, febris hectica corpus teneat, aut animi commotio, insania mentem obnubilet, aut sub mortem ex-

tincta fere sit virtus nervea tumque omine lethali.

672. Nausea, appetitus spontaneus, fastidium sunt a ventriculo sive per idiopatheiam, sive per sympatheiam affecto. Hic nervus sympathicus non tantum, sed vagus etiam aegrotat. Per idiopatheiam sensus ventriculi communis mutatur propter irritamenta: cibos, succum gastricum, aut citra aut ultra modum, aut natura indoleque peccantia, quae nimis parvam, nimiam perversamque incitationem faciunt. Per sympatheiam mutatur sensus ex multiplici aliorum viscerum valetudine: cerebri, cutis, hepatis, renum, genitalium et quâcunque vitae organicae laesione ad ganglia et plexus abdominales adpellente; adeo ut huius symptomatis significatio, nisi ad reliqua signa simultanea omnemque symptomatum syndromen adtendatur, cognosci nequeat. Eiusdem originis sunt appetitus et aversationes spontaneae, quas utplurimum sympathico nervo, saepe etiam cerebro et phantasiae magis, quam sensui organico tribuere oportet. At quaecunque sit huius symptomatis caussa, semper subest affectio nervorum, quam ad ventriculum referimus, inque vitae motu inverso a peripheriâ ad centrum ponendam esse, nonnulli arbitrantur.

673. Anxietas, mali ineluctabilis sensus, sedem in pectore organisque vitalibus, ut nausea, aegritudo in abdomine et vegetativo systemate habet

atque ab impedita, aut oppressa respiratione et circulatione proficiscitur; sive a sensorio communi ad pectus, ut in animi nervorumque commotione, sive a pectore ut in pulmonum, cordis valetudine, ad sensorium ducatur. Multiplex et varius huius naturae vocis sensus est, prouti caussa levior, gravior: in cerebro, visceribus aliis, ab excernendis retentis, a principiis venenatis, contagiosis, a spasmis, moliminibus criticis, a vitiis organorum respirationis, circuitus sanguinis, in pectore, abdomine, vitae energeia defetiscente. Plurium morborum comes illud symptoma nunquam a prudenti medico negligatur. Nam partium actionumque vitalium officii monitor et custos motus concitat et instinctus interdum, sive avertendo periculum, sive a pectore repellendo malum, salutares, mentemque exagitat ad cogitandum de caussis et remediis eiusdem; quapropter nervum vagum, nervum organorum vitalium, cerebralem pariter fecit natura.

674. Dolor oritur ab ingrata tristique sensatione corporea, mente percepta. Subest vehemens irritatio nervorum et liberum requirit mentis corporisque commercium. Eius tam late patet, quam nervorum in corpore dominio ac sensum significat nimis intensum, cerebrum irritantem mentemque contristantem.

675. Remotae doloris caussae sunt laesiones

quaecunque mechanicae, chemicae, dynamicae: continui solutiones, herniae; acria caustica, rodentia, venena, calor, frigus, nimia distentio partium, congestio, inflammatio, spasmus. Proxima doloris caussa est vehemens a nimio stimulo irritatio per phlogosin, aut neurostheniam. Subinde tamen sola sensorii communis affectio fallacem doloris sensum excitat, quales in alios etiam sensus cadere fallacias, insomnia, deliria, aurium tinnitus, fulgura, flammulae ante oculos obversatae testantur.

676. Ingens dolorum varietas et varia imposita nomina partim a caussis, partim a sedibus dolentibus, partim a fabrica ac conditione organorum; unde scindens, punctorius, obtusus, gravativus, distendens, contundens, stringens, pulsans, terebrans, rodens, urens, mordax, prouti a vulnere, contusione, pressione, congestione, phlegmone, suppuratione, erysipelate, rheumatismo, syphilide, acrimonia, vi caustica oriundus sit, aut membranas serosas, viscerum parenchymata, cellulosam, musculos, partes fibrosas, nervosas, cutaneas occupaverit. Quas omnes diversitates, respectu indolis, ad duo genera summa: dolores dynamicos, inflammatorios, atque adynamicos, nervosos referre possumus. Utriusque aliae caussae, notae, sequelae. Ille intermedio fit genere vasorum, in corporibus irritabilibus, sanguineis, plethoricis, a

morbis phlogisticis; insignitur constantia, augmento, incremento, decremento aequali, validoque vitae renisu, qui humorum fluxus suscitat et congestiones, calores, morbosque acutos, febriles, inflammatorios. Hic nervorum genus proxime tangens in mobilibus, tenerioribus, delicatioribus feminis, morbisque nervorum, inconstantia, anomalia, decursu inordinato rationeque omnino inconcinna notatur ac spasmos, convulsiones vitaeque languorem, torporem, syncopen, frigus, imbecillitatem, paralysin efficit. Crebra tamen utriusque permutatio est et alterius in alterum transitus, aut amborum connubium. Praeterea dolor et reliquis partibus stimulo est, unde numerosa affectionum sympathicarum cohors et peculiaris cuivis in vultu, oculis, totoque habitu corporis significatio, quod physiognomoniae et pathognomoniae medicinalis praebet praeclarum subsidium.

677. Doloris gradum determinant potentiae dolorificae magnitudo, partis dolentis vita et fabrica, universi corporis sensus, animique habitus.

678. Tot malorum auctor, simul vitae custos est, mentem ad noxam avertendam quaerendamque medelam impellens; utque diuturnus dolor consuetudine mitescit, sic summus contra brevis, nec corpori, nec menti diu tolerabilis, cito aut solvit, aut solvitur.

679. Anodynia plerumque ominosa propter

laesam integritatem partium fit, aut paralysin, gangraenam vitamque extinctam, aut sublatum partium cerebrique commercium, aut huius sensum, morbo, pathemate, veneno oppressum; quamobrem, delirantium, phreniticorum, apoplecticorum, epilepticorum, catalepticorum, insanientium hoc est, licet caussa doloris sit, nullum eius sensum habere, quia mens laborat. Quae contra vel apathiae est, vel animi fortitudinis dolorum tolerantia summa atque oppositi animi habitus intolerantia satis probant, quam falso saepe a doloris significatione ad doloris vehementiam concluditur.

680. Pruritus, doloris primus gradus voluptatique affinis excitatur stimulo leviori, mechanico, dynamico, sympathico, tam interno, quam externo, cuti, membranis mucosis nervisque admoto: insectis parasiticis, morbis cutaneis, vermibus, calculo, veneno secalino, humorum dyscrasia, intemperie nervorum hysterica, hypochondriaca, vitio saepe gentilitio, raphania, arthritide anomala, suppressa perspiratione cutis, paralysi, humorum jactura, oppresso, torpente genere nervorum. Huic, ut titillationi, formicationi, quae eiusdem generis sunt, spasmodici quid subest, quemadmodum ostendunt qui comitatur status nervosus, quaeque tollunt haec symptomata remedia, ex antispasmodicorum, sedantium numero eiusque

periodica ratio. Illius species sunt, quae memoravimus: formicatio, titillatio, etiam sternutatio, tussis, caet.

681. Rigor, horror, horripilatio, dedolatio, sensus lassitudinis, ad systema spinale pertinent. Priora symptomata acutorum initia, crises, suppurationes, spasmos, convulsiones praesagire, indicare, stipari solent; dedolatio, sensus lassitudinis a viribus praesertim motricibus oppressis, fractis, morbos longos praecedere, subsequi, alios constanter comitari observantur. Caloris frigorisque sensus, ut plurimum fallax, a nervorum erethismo, orgasmo vasorum, variâ et mutabili temperie, in hystericis, hypochondriacis, animo et corpore mobili exoritur.

682. Vitae taedium saepe cerebri, saepius systematis sympathici vegetativi symptoma, miseriarum et calamitatum vitae humanae minus universe, quam voluptatum ac deliciarum progenies, ab aegritudine corporea est sensuque fractae organorum abdominalium viscerumque chylopoieticorum totiusque vitae nutrientis reproducentis energeiae. Senectutis maturae, praematurae comes, vitae vincula solvit, mortem inevitabilem, vitae finem longe minus intolerabilem, immo optatum ac dulcem labentibus viribus, emoriente corpore, reddit.

683. Anxietas denique ut vitam opprimit, quem-

admodum dolor, nisi gravissimus erigit, ita quae anxietate stipantur morbi, saepenumero vitae taedium adferunt, praesertim vitia cordis organica, quae crebro ad suicidium duxisse, res est medicis notissima.

FUNCTIONES SENSUUM LAESAE.

684. Sensus communis organici laesionibus subjungere oportet eas, quae ad sensum animalem ac peculiares sensuum officinas spectant: tactus, gustus, odoratus, auditus, visus, quorum ut sui singulis adparatus, ad singulas rerum dotes explorandas, ita sui quibus patent morbi.

685. In illis hominem nervosum internum vitam organicam viventem contemplati sumus, in hisce hominem nervosum externum contemplabimur totius mundi civem, rerumque humanarum et coelestium spectatorem. Est tamen in sensibus etiam continua a vita organica ad vitam animalem progressio, a sensu communi ad tactum, gustum, odoratum, quorum arctior est cum vita organica conjunctio; ab hisce ad auditum et visum, sensus maxime animales.

686. Alia cunctis communia, singulis alia propria. Commune est omnibus centrum, cerebrum, pars primaria a nervo, diversimode disposito,

distributo variisque accedentibus partibus, varioque cum aliis consensu. Illud etiam ut instar caeterarum actionum, eorum sanitas in mediocritate quadam sit posita, a qua quum ultra citrave deflectunt, in vitio esse recte dicuntur. Laesiones igitur universe ad excessum, defectum, depravationem commode revocare licebit.

687. Nec desunt etiam communia omnibus symptomata, quae primo tradenda, ne taedium moveant quinquies repetita, aut distrahantur, quae juncta occurrere solent.

688. Tanta saepenumero sensuum acies est, ut ne naturales quidem stimulos ferant, quin doleant. Id ubi unius tantum sensus est, ab hoc uno eiusque nervo nimia contentione fatigato ex diuturna quiete ad laborem evocato, neurosthenia, congestione, phlogosi irritato exacuitur; ubi plurium simul, a cerebro eiusve membranis est et nervis incitatis, inflammatis, in erethismo, febre nervosa, phrenitide, passione hysterica, hypochondriaca, mania, hydrophobia, ab intemperie nervorum nimiaque mobilitate, qualis etiam puerperarum est atque ex gravi morbo convalescentium.

689. Hebetudo sensuum est, quum ad stimulos naturales surdi sunt tardique, sive vitio sensus ipsius, inopia infirmi, copia oppressi, morbo organico impediti, sive cerebri apoplexia, lethargo, comate gravati, sive virtute nervea, venere, se-

nio extincta, aut vino, venenis, narcosi sopita, sive vita aliorsum conversa, propter nimiam mentis contentionem aliarumve partium et functionum exercitium.

690. Pravitas sensuum, quâ falsae rerum species menti obversantur, nervorum, cerebri, mentisque pravam valetudinem indicat, a similibus ferme caussis oriunda ac crebra praesertim in hystericis, hypochondriacis, insanientibus occurrit. Id tamen notatu dignissimum, alium esse harum partium sensum organicum, alium esse sensum proprium animalem, posse illum acui, hoc torpente, aut obscurato, cuius reï perspicuum habetur in catarrho atque inflammatione exemplum.

TACTUS SYMPTOMATA.

691. Tactus organon (quem variis nominibus sensum geometricum, mechanicum, aliorum correctorem appellant) cutis est, commune corporis involucrum et integumentum, numerosis nervis, vasisque instructum cumque multis partibus, praecipue mucoso systemate consentiens, quae tanquam rete nervosum, vasculosum in corporis superficie tenditur, quo sentiuntur rerum externarum adpulsus.

692. In hoc sensu, vel acuties nimia, vel hebetudo, vel perversitas culpatur.

693. Illius ut accurate interpretentur symptomata, sensum animalem, sive tactum veri nominis et sensum organicum cutis discernere oportet. Acuitur tactus ex morbo nervorum acuto, chronico, idiopathico, sympathico cutis, cerebri, medullae spinalis, systematis vegetativi. In phreniticis, maniacis, hystericis, hypochondriacis, hydrophobis, cute tenera, etiam levis contrectatio convulsiones et spasmos movet. Sensus cutis organicus acuitur ex phlegmasia cutanea, cute inflammata, vulnerata, ulcerata, ambusta, contusa, inflammatione vera, spuria; ex morbo gastrico, rheumatico, arthritico, podagrico, ubi ab omni contactu dolor.

694. Obtunditur vitio cutis, nervorum, cerebri, medullae paralysi, apoplexia, epilepsia, catalepsi, mentis aegritudine, venenis narcoticis, saturninis, laesione spinae, pressione mechanica, callo, ichthyosi, elephantiasi, induratione, tumoribus, oedemate, congelatione, gangraena.

695. Pervertitur cerebri, spinae, nervorum valetudine, mutata cutis functione vitaque plastica, affecta alicubi membrana mucosa cum cute consentiente, in febribus adynamicis, atacticis, morbo gastrico, catarrhali, hysterico, hypochondriaco, in quibus permultae huius sensus ab intem-

perie praesertim nervorum fallaciae, nervis vegetativis nervos spinales afficientibus. Huius loci sunt sensus frigoris, caloris, horripilationis fugacis sub opere digestionis, suppurationis, motu febrili; uti affectus sympathici cordis, ventriculi, genitalium, cute aegrotante, qui partium illarum consensum inter se manifestant.

696. Universe feminis aegrotantibus maior ab affecto tactu symptomatum numerus et mutabilitas, quae si intermittant, aut diurno tempore maxime urgeant, ad vitam animalem magis pertinebunt et in quibus perquirendis tam in medullam spinalem, quam in nervos vegetativos, cum ea copulatos, potissimum convertisse mentem juvabit.

SYMPTOMATA GUSTUS.

697. Gustus, tactus chemicus corporum sapidorum, ut alter communis ille mechanicus, praecipuum organon habet linguam et nervum lingualem. Tegitur lingua epithelio, corio, papillisque formae variae: vallatis, fungiformibus, calyculatis, de textu erectili vasculoso, nervoso. Vallatas ad sensum subjectivum organicum, cui nervus glossopharyngeus praeest, reliquas ad sensum animalem objectivum, nervo linguali instructas re-

ferre quibusdam placuit, nervo hypoglosso linguae tanquam motus instrumento prospiciente.

698. Laeditur gustus vitio linguae, glandularum salivalium, vasorum, nervorum, membranarum mucosarum, neurosi, phlogosi, catarrho, morbo gastrico, bilioso, mucoso, sensu organico atque animali haud aequo gradu temperatis. Sensum animalem affectum testantur sapores alienati: fatuus, dulcis, salsus, amarus, metallicus, rancidus, putridus, omine vario, bono, malo, quandoque critico; sive caussa in lingua eiusque humoribus, salivae organis, partibusque vicinis, sive in mucoso systemate, canalis cibarii potissimum haereat, seu solus mutatus sit sensus nervorum lingualium aliorumve cum his consentientium. Organicus linguae sensus afficitur inflammatione, ulceratione, aphthis, ex propria linguae, aut communi magis mucosae intestinalis, cutis, aliarumve partium valetudine, in morbis acutis inflammatoriis, febrilibus, catarrhalibus, gastricis, exanthematicis. Huius sensus eo pluris facienda est symptomatologia, quia digestionis officinae vitaeque plasticae index ne a senibus quidem, reliquis sensibus deficientibus, abest.

SYMPTOMATA ODORATUS.

699. Odoratus, cuius officina nares sunt, quas obducit mucosa tenerrima mollissimaque et humida semper, numerosos nervos intextos habens, palmarum in modum a foraminibus cribrosis ductos et distributos, hyperosmia, sive nimio acumine peccat, ubi leves etiam odores nares offendunt, hinc sternutationem, convulsiones, animi defectionem subinde movent. In morbis nervorum acutis, chronicis: ex febre nervosa versatili decumbentibus, phreniticis, hydrophobis, hystericis, hypochondriacis illud tanquam symptoma vulgare saepe contingit.

700. Frequentior tamen est odoratus oppositum vitium, *ἀνοσμία*, cuius varii gradus. Vix ut prius idiopathicum, ex laesione, vulnere, ulcere narium internarum, polypis, carcinomate caet. Saepius sympathicum est ex organicis vitiis partium vicinarum, cutis valetudine, in catarrho, mucosae narium phlogosin atque uberiorem humoris tenuis primum, tum muci crassioris secretionem proritante, in quo, dum sensus organicus a nervo trigemino acuitur, sensus animalis a nervo olfactorio hebescit; quod phaenomenon etiam in gustu a duplice nervo observatur. Denique ut symptoma

paralyseos universalis, particularis in torpore, syncope, comate, apoplexia animadvertitur, ubi saepe cum ageustia anosmia est.

701. Depravatur olfactus in nervosis, hystericis, maniacis, delirantibus, tum etiam, quum ulcera haec loca, aut alia vicina, remota tenent ichorosa: nares, os, dentes, gingivas, linguam, fauces, oesophagum, tracheam, pulmones. Quum humorum secretio alienatur, quum sanguinis crasis pervertitur morbo catarrhali, mucoso, gastrico, putrido teterrimus odor nares ferit, quem in aëre haerere aegri credunt; a quibus cunctis alia longe odorum perceptio eaque fallax. Praeterea odoratus cum officina spirationis, generationis, phantasia, ut gustus cum canali cibario, functione chylopoictica cohaeret, quamobrem illum, sensum aërium, pulmonalem, hunc sensum intestinalem vocaverunt.

AUDITUS SYMPTOMATA.

702. Typus organi auditus nervus est mollis in aquoso humore, quem sacculus includit, expansus et fluctuans, durioribus partibus ad oscillationes aëris excipiendas, augendas idoneis cinctus, circumdatus. Auditus organon ad unum typum in animantibus et homine conformatum, alias partes habet primarias, accessorias alias. Illarum ex

numero est labyrinthus membranaceus aquulam Cotunnii includens, in quo fluctuat nervus mollis auditorius. Reliquae: tympanum, ossicula, auris externa accessoriae, quibus laesis functio quadantenus constare potest.

703. Laeditur auditus quadrifariam: augmento, puta, hebetatione, abolitione, depravatione, unde ὀξυηκοΐα, βαρυηκοΐα, κώφωσις, παράκουσις; quae symptomata tanto majoris facienda sunt, quo sensum disciplinae nobiliorem infestant et caussas habent sedesque magis reconditas et minus facile sanantur.

704. Ὀξυηκοΐαν, auribus ipsoque cerebro tam acute sentientibus, ut levi etiam strepitu offendantur, faciunt nervorum erethismus (§ 156 sqq.) orgasmus humorum (§ 634) plethora, congestio, inflammatio meningum, cerebri, aurium; morbi spasmodici, catarrhales, rheumatici; febres nervosae versatiles, neuralgiae, instans narium haemorrhagia, insultus epilepticus, puerperium, deliria, vigiliae, vesaniae, status nervosus. Interdum auditus acutus praecedit sarditatem, ut photophobia amaurosin. Ille acutis incipientibus, vigentibus, haec declinantibus peculiaris. Caeterum nimia isthaec auditus acuties utrum idiopathica, an sympathica sit, perquirendum.

705. Gravis auditus et surditas plures habere caussas easque non satis cognitas habere potest:

in cerebro, nervo acustico, partibus reliquis positas. Cerebro sanguine, sero, pure oppresso: in apoplexia, epilepsia, hydrocephalo; vel virtute nervea motu febrili, humorum jactura, inanitione, senio infirmata, obtunditur auditus, omine vario, interdum bono, in febribus maxime, quando oppositum acutioris auditus vitium praecesserit. Nervo torpente, paralytico, laeso, presso, atrophico, ubi perpetua, sine dolore atque inter magnos fragores levata surditas; tunc ne somnia quidem audientium fuisse feruntur. Aquula nervum alluente, copia, dotibus mutata; labyrintho membranaceo inflammato, ubi dolor, ut in serosis aliis, acutissimus; ossiculis luxatis, cariosis, ancylosi concretis, membrana tympani vitiata; tubis Eustachianis inflammatis, obstructis, ex catarrho, morbillis, scarlatina, angina; meatu auditorio cerumine repleto, obturato varioque vitio clauso impeditur, quo minus fluminis aërii undae aurem feriant ac sonus a corporibus elasticis emissus percipiatur. Notandum, neque auris externae defectum, nec laesam membranae tympani integritatem auditum plane tollere.

706. Paracusis est in tinnitu, susurro, sibilo, bombo aurium a plethora, intemperie nervorum, catarrho, colluvie gastrica. Vix autem a vitio symmetriae, cum organica utriusque auris vitia paria esse deprehendantur, quasi, praecipiente

Valsalva, natura idearum discordiam plus timeat, quam pravitatem.

707. In quibus dijudicandis symptomatibus tenendum est, alium esse sensum soni universe, alium harmoniae, inque morbis phlogisticis acui sensum organicum, non aucta auditus perfectione: musicos surdastros fuisse, ut acute audientes non musicos, auditum musicum, sive sensum harmoniae, si in cochlea recte ponitur, ab huius, eius nervi, vel cerebri pendere valetudine; cerebri tandem judiciique et artis ad hunc sensum excolendum vim esse maximam.

708. Verum, ut haec tradere auditus morbosi symptomata et subjungere caussas, non multum difficultatis habet, ita habet plurimum, hasce in aegrotantibus invenire et surditatis praesertim fontes indicare. Hic prudenti judicio opus est accuratoque examine. Primum, utrum primariae organi partes, an accessoriae tantum aegrotent, perscrutandum, tum an praeter nervos etiam vasa, denique reliquarum partium et viscerum valetudo cognoscenda. Torpente nervo auditorio surditatis erit, quae vitae animalis, periodica ratio, nullus dolor, nimia praegressa incitatio, inanitionis aut extinctae virtutis nerveae venere, senio, morbo exstabunt indicia, quae brevi paralysis atque atrophia nervi sequentur. Quae otitidem gravem internam, quam delirium phreniticum sym-

pathicum, deuteropathicum comitari solet, excipit surditas, auris internae humorem auctum, mutatum, nervum irritantem accusat. Quae ex morbillis, scarlatina, angina est, tubas Eustachii concretas; quae post catarrhum, morbum gastricum, arthritidem, cerumen meatum obturans, quae post apoplexiam, originem in cerebro quaerendam monstrat; quae ex cephalalgia syphilitica, ulcera, cariem, quae haemorrhagiam narium, periodum menstruam praecedit, congestionem designat, atque sic a caussarum et symptomatum cognitione ad naturae mali adscendimus notitiam reique perobscurae occultos a sensuque remotos fontes detegimus gravique symptomati aut morbo salutarem curationem admovemus.

SYMPTOMATA VISUS.

709. Superest visus, sensus omnium praestantissimus, ad lucem atque aethereos tremores factus, cuius instrumenta oculi summo artificio structi maximeque compositi sunt. Nam oculi bulbus, orbita reconditus ossea, multaque pinguedine circumfusus, tutaminibus apparatuque organorum lacrymalium munitus, in omnem sensum mobilis, tum musculis, tum nervis propriis, ex membranis constat et humoribus diversissimis: externa

sclerotica fibrosa, quam intus obducit choroidea opaca, cuique antrorsum imponitur cornea pellucida, tanquam alterius circuli segmentum, utraque tecta conjunctiva eaque lamellata. Sequitur humor aqueus eiusque membrana corneam vestiens, in camera anteriori. Corneae ex adverso iris est, orbiculo et corpore ciliari cinctus, foramen sive pupulam habens, alterno motu dilatatum contractumque, accommodate ad eam, quae incidit lucem. Pone iridem, cuius posterior pars uvea dicitur, lens est, cum capsula, pellucidae pariter, corpore vitreo, membrana hyaloidea contento, comprehensae. Postremo retina expanditur nervea, nervi optici terminatio, ad recipiendas visionis species. Extus tutamina: palpebrae, suis musculis praeditae, tarsis cartilagineis tensae, ciliis ornatae, superciliis terminantur; tum in orbita lacrymalia organa: glandula extus et superne oculi bulbo adjacens, caruncula, puncta, ductus, saccus lacrymalis, in narium cavitates patens, pariter oculos tuentur atque humectant.

710. Acutus nimium visus est, ubi vel modicam lucem refugiunt oculi, photophobiam vocant, aut noctu magis, quam interdiu videndi facultate valent, quod nyctalopia dicitur. Nimius retinae sensus ex oculi inflammatione, congestione, pupulae dilatatione, lucis desuetudine, aut nimia organi contentione; morbi capitis, nervorum acuti, chro-

nici; virium infirmitas ab inanitione, pervigilio, lucubrationibus, saepius accusanda sunt.

711. Ex hac amblyopia oritur, imbecillitatis nerveae sive in corpore universo, sive in oculo signum, cui cognata ἡμεραλωπία, seu nocturna caecitas, quae inclinant in amaurosin, nervi optici resolutionem, a retina sola, vel quod saepius a cerebro, aut reliquo nervorum genere laeso, oppresso, resoluto. Haec caecitas a nervo.

712. Aliae caecitatis species ab oculi tutaminibus, aut a cornea, pupula, lente crystallina eiusve capsula, humore vitreo denique luci imperviis: quorsum ptosis, macula corneae, staphyloma, pupilla occlusa, cataracta, glaucoma referuntur, morborum magis, quam symptomatum nomine dici debent.

713. Depravatae visionis symptomata sunt myopia, presbyopia, vanae rerum species ante oculos obversantes: μαρμαρυγαὶ, φωτοφάνεια; strabismus, vertigo denique, quae tam a mente, quam a corpore proficiscitur. Prius vitium ab oculi, corneae, lentis convexitate, impedit quominus res longinquae acute cerni possint. Alterum ex contrariis caussis ad res proximas distinguendas ineptum oculum facit. Tertium a nervorum, vasorum, humorum affectione est, aciem oculorum praestringente. Quartum, oculis spasmo, convulsione, paralysi perversis contortisque, a musculis est. Quintum

ab animi commotione, vi phantasiae, congestione, inanitione, narcoticis, vino, aëre noxio, celeri motu: navi, curru, rerum externarum, quo fit, ut hae circumagi, vel proprium corpus vacillare videatur ac tandem humi procumbat.

714. Quemadmodum vultus indicat mores et in vultu oculi praesertim animi habitum declarant, sic in morbis etiam dignoscendis nulla facile corporis pars tot tamque gravia dat signa, quam oculus. Is quum valeat aequali virium duarum tributione, earum pupula rationem ostendit. Arctior pupula cerebri, latior sympathici vitam superare testatur: aetatis, sexus, temperamenta observationem probant, quae in morborum potissimum nervosi generis febrilium, febre expertium dignotione usum maximum habet. Oculorum nitor, splendor, languor, adspectus torvus, tristis vitae viriumque corporis ac mentis conditionem, rubor phlogosin, flavedo morbum gastricum, palpebrarum inflammatio, tumor, caeruleus color scrofulosin, hydropem, statum venosum denotant et in ophthalmiis pars oculi affecta, decursus vasorum et color, humorumque secretorum ratio collata cum aegri habitu, caussis, varioque doloris sensu variam ipsius inflammationis naturam ostendunt. Systematis motus in oculo affectus convulsionibus, quibus agitatur bulbus, cognoscuntur. His crebro repetitis, pervertuntur, quamobrem epileptici, mania-

ci strabones fiunt: aut spasmo in unam rem defixi sunt, qualis catalepticorum, melancholicorum adspectus est. Haec igitur reputanti tot tamque gravia signa, quae oculi praebent, perspicuum minimeque obscurum videbitur, veteres quo summo excellebant observandi studio, ea tam religiose colligisse, comparasse, notasse iisque cum in prognosi, tum in diagnosi morborum tribuisse plurimum.

LAESIONES SENSUUM INTERNORUM.

715. Laesiones sensuum internorum interpretaturi ad rem accedimus arduam, difficultatis plenissimam. Nam ipsorum organon cerebrum est, cuius arcana fabricatio magisque arcanus usus et munia ingenii humani aciem fugere videntur. Nec mirum profecto, si multis dubiis prematur symptomatum, quae sensus externi in morbis offerunt interpretatio, quam plurimis premi internorum; quocirca caute ac prudenter hic procedendum, ne a vero aberremus.

716. Mens, animus, voluntas, ubi libertate reguntur et corpori imperant, insania esse nulla potest; quam primum vero pathematibus abripiuntur, aut corpori serviunt, vitae psychicae turbata harmonia est.

717. Huius turbatae perpetuo harmoniae signum est delirium, in quo, tanquam somnio vigilantis, variis rerum imaginibus addicitur mens, conturbatur animus, voluntas libertate privatur.

718. Itaque multiplex huius symptomatis diversitas est, prouti alias aliasque harum facultatum laesiones creaverit, aliisque partibus magis fuerit infesta aegritudo, ipsaque aut levis, aut gravis, nascens, vigens, intermittens, remittens, continua: unde delirium universale, particulare, fixum, vagum, perpetuum, interruptum, mite, ferox.

719. Tribus hisce facultatibus tres conducunt systematis nervosi provinciae, animo sympathicus, qui etiam in cerebrum pertinet cuique praeterea in capite nervum trigeminum fecere consimilem, menti cerebrum, voluntati denique cerebellum cum medulla spinali.

720. Solet mentis morbus ab animi aegritudine proficisci, quod sensus organici aberratione declaratur, quae deliria febrilia, febre expertia, maniae monomaniaeque paroxysmos antecedit, quamobrem in systemate vegetativo saepenumero insaniae adparent symptomata prodroma. Haec si cerebrum ipsum adtingant, somnia fingunt, quibus mens abducitur multisque et variis commotionibus jactatur.

721. Mens alienata, pathematum imperio pa-

rens, libera esse desiit, nec ratione, sed caeco instinctu ducitur, sive in unam cogitationem, aut cogitationum seriem defixa, quae saepius cum tristi animi affectu et athymia conjungitur: haec monomania, sive cum furore et ira fit, quae mania adpellatur. Et quemadmodum monomaniaci alte meditantium habitum referunt, sic maniaci iratorum et furentium oculis, vultu totoque corpore exprimunt imaginem.

722. Voluntas una cum mente pathemati saevienti ac tyrannidem agenti serviens, in prava facinora fertur, quo cerebellum ac systema spinale, adparatus motuum primaria organa, in mali societatem trahuntur, quibusque nervus facialis et hypoglossus prospicit musculi et spirandi instrumenta et artus agitantur. Hinc delirantium minae, hinc vociferationes, hinc clamores, hinc brachiorum jactationes intelliguntur.

723. In delirio febrili, feroci, acuto irritata esse aut inflammata cerebri membrana serosa eiusve pars corticalis, in typho, apoplexia, hydrophalo, encephalitide ipsa pars interior cerebri magis aegrotare videtur: unde typhomania, delirium mite, taciturnum, species somni omniaque vitae cerebralis oppressae, exhaustae adparent indicia.

724. Haec dynamica vitia organicorum: commotionum, vulnerum, laesionum cerebri, cerebelli,

medullae sedes, effectus, signa, praesagia poterunt illustrare utque in illis a sympathico nervo orditur symptomatum chorea, ita in hisce in sympathicum desinit.

725. Opposita maniae amentia, ἀνοία, huius et monomaniae, epilepsiae, apoplexiae, aliarumque neurosium capitis exitus, mentis imbecillitate, idearum deficiente connexione, voluntatis privatione, infantili prorsus vultu et habitu declaratur, quae si congenita est, vitio cerebri non rite evoluti, cranio compresso, parvo, facie magna, prominente, idiotismus vocatur, ac subinde cum magna nervi vegetativi et genitalium evolutione conjungi visa est. Tum instinctu sensuque organico ducitur homo omnisque abest species praestantiae humanae, extincta prorsus in homine humanitate.

726. Caussae remotae huius symptomatis numerantur: 1 Sanguis in encephalum eiusve membranas maiori copia, impetu impellens, ex plethora, congestione, phlogosi, motu febrili. 2 Irritamenta quaevis idiopathica, sympathica, has partes vellicantia: spirituosa, narcotica, contagia, animi pathemata, morbi abdominis, genitalium, nervorum. 3 Laesiones et vitia organica: commotiones, vulnera, fracturae, abscessus cranii, cerebri. 4 Eiusdem ex inedia, inanitione, pervigilio, studiis, morbis deficiens, impedita, perversa nutritio.

727. Seminiis adscribunt: temperamentum nervеum, cholericum, melancholicum, irritabile, acquisitum, haereditarium, pueritiam, pubertatem, sexum femineum, inprimis ubi gravida aut puerpera femina.

728. Proclivitas ad delirium exprimitur formâ corporis: cranii, thoracis, abdominis, tum reliquarum partium, tum suorum ipsorum ratione habita, ex quarum cavitatum comparatione cognoscitur singulorum hominum ad animi, mentis, voluntatis aberrationes prae aliis seminium.

729. Delirii fontes indicabunt, quibus stipatur symptomata: generis vasorum, nervorum, viscerum affectorum; signa in vultu, oculis, ore, voce, habitu corporis, decubitu, motu, excretis, in aliis deliriis alioque morbi tempore, alia.

730. Animadvertendum etiam suum singulis morbis peculiarem esse animi habitum: acutis, chronicis, nervorum, vasorum, musculorum, membranarum, viscerum, cuius generis sunt phreniticorum, maniacorum ferocia, iracundia podagricorum, tristitia animique dejectio ictericorum, scorbuticorum; phthisicorum spes vitae, hypochondriacorum desperatio, apathia hydropicorum. Qui locus de animi habitu in morbis notando a veteribus perstrictus et adumbratus, nondum satis a medicis pertractatus est.

MOTRICIS FACULTATIS SYMPTOMATA.

731. Vita animalis sensu motuque constat. Illius nervi, huius musculi instrumenta sunt, quae magna inter se cognatione continentur, ut alter alterius ope indigeat.

732. Ad movendi igitur adparatum pertinent musculi, propria vitae dote praediti, tum etiam peculiares nervi cerebrales, spinales, nec non huius adparatus primariae in systemate nerveo partes: cerebellum spinaeque medulla.

733. Musculorum aegrotantium symptomata sunt: spasmus et paralyses, quorum ille motus est fibrarum muscularium vehemens, involuntarius, incompositus, in quo si alterna sit antagonistarum contractio et relaxatio, spasmus clonicus, convulsio, si contractio perpetua, spasmus tonicus dicitur, cuius species sunt emprosthotonus opisthotonus, pleurosthotonus, trismus, cuiusque tam late quam fibrae irritabilis dominium patet.

734. Quaerentibus phaenomeni caussas, plures occurrunt remotae: res irritantes, seu stimuli psychici, dynamici, organici, mechanici, chemici, idiopathici, sympathici, universis tamen una communis subest conditio vitae, aequilibrium scili-

cet, an harmoniam velis, aut concentum vocare, generis vasorum et nervorum, musculis prospicientium turbatum, sive virtus nervea peccet, integra actione vasorum, eaque vel excedens, vel deficiens, ut in subsultu tendinum est, seu vasa culpanda et sanguinis stimulus nimius nimisve parvus, quae convulsionum post haemorrhagias ratio est. Quapropter vasorum pariter ac nervorum turbis sese crebro comites jungunt spasmi tam salutares, quam perniciosi.

735. Quod voluntatis imperio subtracti musculi automaticis motibus agitentur, qui arbitrio caeterum regi solent, illud a nervorum spinalium cum intercostalibus connubio, quod nec cerebralibus deest, proculdubio repetendum, organicis nervis animalium provinciam invadentibus.

736. Ad spasmorum explicandam genesin etiam notanda est arcta inter vires sentiendi movendique consensio, qua fit ut immodico cuivis sensui animique affectui crebro spasmi superveniant acsi horum ope avertere aut expellere malum, de quo sensus monet, natura conetur: quod ex cerebri medullaeque spinalis connexione viri docti interpretantur.

737. Proclivitas ad spasmos posita est in magno systematis motus sensu et irritabilitate cumque aliis regni nervorum provinciis sympatheia.

738. Effectus spasmorum in musculis vitae ani-

malis, vegetativae, quamplurimi sunt ac diversissimi alias aliasque functiones spectantes, nec semper detrimentosi, quandoque saluberrimi, vereque medicati.

739. Multa deinde spasmorum distinguenda genera sunt. Alii magis universales, alii particulares, idiopathici, sympathici, dynamici, adynamici et illi quidem subinde critici, cuius generis est rigor eiusque leviores gradus horror, horripilatio, ex spinae medulla originem trahentes. Hi morbos acutos graviores, inflammatorios, febriles, motus automaticos, criticos, suppurationes internas et magnas quascunque ac subitas aut praecedunt, aut comitantur in corpore ac genere praesertim vasorum mutationes. Alii in cute et capillaribus cutaneis peripherici, in febribus intermittentibus, ab immodicis evacuationibus, animi commotione ex genere nervorum sympathicorum, spinalium oriuntur.

740. Est etiam in motibus voluntariis musculorum loquelae, artuum, aliorum, agilitas et volubilitas spasmodica, convulsiva, quae mentem invitam praecurrunt: vitium mobilibus, irritabilibus haud infrequens, cuius in chorea sancti viti summus gradus cernitur, quodque nec a motibus spontaneis abest et saepenumero animum perturbatum indicat.

Cunctis communis est irritabilitatis in mus-

culis excessus, quae peculiaris harum partium dos est, sive in his ipsis male affectis, sive in vasis, aut nervis prima mali origo lateat, quod medici scire plurimum interest, siquidem spasmis et convulsionibus aptam et utilem medicinam facere cupiat.

741. Spasmo oppositum vitium paralysis, paresis, atonia, extinctam ponit facultatem motricem partiumque movendarum inertiam. In paralysi perfecta pars et sensu et motu orbata, tandem nec rite nutritur, in paresi, quae imperfecta, sensus superest; in atonia, legitimus deest fibrarum muscularium tonus. Tam late paralysis, quam fibra irritabilis extenditur. In musculis voluntariis, quia voluntatis arbitrio non parent, parentes antea, haud diffi.ulter dignoscitur; in caeteris difficilius, nec nisi silente, sine dolore, actione.

742. Tot caussas habet, quot motus musculorum legitimus conditiones: cerebri, cerebelli, medullae oblongatae, spinalis nervorumque vitam, virtutem nerveam languidam, deficientem, mutatam fabricam, commercium cum fibris motricibus interceptum, sanguinis vasorumque in nervos vim potestatemque imminutam, sufflaminatam, aut contra nimiam, harum partium vitam opprimentem, laesam denique fibrarum muscularium inte-

gritatem. Atque hae conditiones vel seorsum, vel junctim paralysin creant.

743. Quocirca liquet, sedem eius valde diversam fore in nervis, vasis, musculis, interdum a parte immobili remotissimam: unde paralysis idiopathica, sympathica, plethorica, rheumatica, adynamica, atonica, scorbutica, cachectica, cacochymica; nec minus varias esse in variis partibus functionum turbas in adparatu motorio, respiratorio, circulatorio, officina digestionis, nutritionis, secretionis, generationis, sensuum caet. tum generales, tum particulares.

744. Hinc intelligitur, quae morbos chronicos comitatur debilitas, et acutos praesagire solet lassitudo spontanea eiusque variae species veteribus commemoratae. Nec obscura ratio est, istius, quae spasmum sequitur quamque nimia fibrarum extentio inducit atoniae huiusque altioris gradus, resolutionis paralyticae. An tremor huius loci est? An palpitatio?

SYMPTOMATA VOCIS ET LOQUELAE.

745. Vocis et loquelae symptomata in morbis virium corporearum, mentalium indicia praebent haud tuto negligenda, nec tamen rite explicanda,

nisi intellecta rite instrumentorum vocalium compositione.

746. Instrumenta vocalia sunt: pulmones, trachea, larynx, fauces, os, dentes, labia; quorum princeps larynx est, cuius partes sunt mucosa tunica, ligamenta, cartilagines, musculi, nervi, vasa, quarum singularum, junctarum laesio vocem ipsam laedit. Vox vel magna, debilis, vel acuta, gravis est, vel sonora, obtusa, vel articulata, inarticulata, unde distinguitur in voce contentio, tonus, sonus, loquela; quae singulae dotes in morbis mutatae, quum a singulis pendeant huius adparatus partibus, tonus a glottide eiusque rimula, sonus a larynge, contentio a pulmonibus, loquela ab ore, dentibus, labiis, eas animadvertere oportet, ut symptomatologiam vocalem probe teneamus.

747. Vox debilis fit, fractis aut oppressis organorum spirantium viribus, deficiente energeia nervea, musculorum irritabilitate, sanguinis in ipsa impulsu, in senibus, exhaustis, ex febre nervosa, adynamica decumbentibus, phthisicis, spasmo, congestione aliave caussa oppressis. Eius summus gradus aphonia ex iisdem caussis est nervos opprimentibus, debilitantibus: ex spasmo, congestione, animi commotione, paralysi, sive critica cum activis symptomatibus, sive symptomatica cum singultu, artuum frigore, affectibus paralyticis,

nervosis, vitae discrimen summamque virium imbecillitatem denotans. Alia est ex laesione mechanica, organica: vulnere, ulcere, luxatione, fractura.

748. Vox acuta, stridula, pipiens est glottide, larynge ex spasmo, phlogosi, pseudomenbranis contractis, angustatis, obturatis maximeque in morbis spasmodicis, convulsivis atque in angina laryngea, polyposa animadvertitur. Vox clangosa fit gravi spasmo et affectione nervorum, in febribus acutis, capitis inflammationibus metastaticis, spatio, quod partes istae circumscribunt, insolentius aucto, detruso musculorum vi larynge, dilatataque glottide. Cunctos illos novem musculorum vocalium motus ligamenta vocalia tendentium vicissim et relaxantium glottidisque rimulam coarctantium aut dilatantium accessorio nervo regi, quem motorem faciunt, vago sensui prospicienti adjunctum eundemque vocalem, nuper a viris doctis prolata est sententia.

749. Atque ab his motibus varius fit aëris vibrantis in illas partes earumque parietes impulsus; a quorum parietum conditione sonus in voce clarus, obtusus potissimum editur. Quamobrem vox rauca organorum vocalium tremoribus propter tracheae, laryngis siccitatem, catarrhum, conditionem inflammatoriam inaequalibus, parumper cohibitis debetur, nimioque clamore, vociferatione, abusu spirituosorum, animique commotione

efficitur, tum etiam rigiditate, osteogenesi senili.

750. Organi vocis orificium, apex, tuba os est constans faucibus, lingua, dentibus, labiis, quae vocem a mente principium ducentem fingunt et terminant eiusque sonos distinctos et pressos efficiunt. Horum praesertim artificiosa fabricatione labiorumque novemdecim musculis ad omnes litterarum formas exprimendas aptis, ad loquelam unus ex animalibus factus est homo. Itaque loquelae vitia a faucibus, lingua, ore, dentibus, labiis vitiatis, aegrotantibus, aut ab ipso cerebro, mente nascuntur: quorsum referuntur insolita loquelae sive tarditas, seu celeritas; haec in acutis, phrenitide, nervosa versatili, hypochondriaca, hysterica passione, in iis quorum nervi, vel animi vehementer agitantur, illa in iis, qui spirandi et loquendi difficultate animove perturbato laborant, in nervosa lenta ac chronicis multis, virtute nervea oppressa, languente, exhausta. Nonnunquam plane deficit, ex vitiis partium organicis, virium alienatione, suppressione, cerebro graviter laeso. Notanda quoque loquendi difficultas sive haesitatio, tum balbuties connata, acquisita, mentis, cerebri commotionem, futuram aut praegressam apoplexiam indicans. Denique vox nasalis, gutturalis vitiosam ab ortu conformationem, laesam, depravatam morbis structuram, nicotianae abusum, catarrhum, pravam consuetudinem significat.

751. Quae horum organorum morbos sequuntur vocis et loquelae symptomata, ab aliis alia, suam singula edunt voce vitiata significationem: a dentibus, faucibus, naso in senibus, scorbuticis, anginosis, syphiliticis, scrofulosis, phthisicis, phreniticis, mente captis et quam plurimis ex alio alioque valetudinum genere aegrotantibus hominibus ita discrepant, ut tot vocis atque loquelae alienationes ferme, quot valetudinum genera a perito medico observatore distingui possint atque ab hac diagnostice vocali gravissima peti morborum signa. Qua in re veterum diligentia laudanda est posterisque exemplo proponenda, quod sequantur, dignissimo. Quot quantaque inde commoda in artem diagnosticen manarent, is quamoptime capiet, qui, quot quamque magnos progressus fecerit harum partium anatomica, physiologica, pathologica cognitio, memoria recolat.

SOMNI AFFECTIONES.

752. Vitae animali alterna quiete opus est, laborem et contentionem diurnam compensante, cui dieï noctisque vicissitudo respondet. Ea quies somnus est, dormientibus externis sensibus ac motibus musculorum, qui arbitrio parent, silentibus, vigilante vero et vigente vita organica. Som-

nus in morbis vel nullus, vel imperfectus, vel excedens, sive potius inordinatus conditionis huius vitae et organorum ad ipsam spectantium indicium dabit gravissimum.

753. Somni defectus, pervigilium, agrypnia, frequens morborum comes a perpetua est cerebri incitatione, ob gravem quemcunque in sensus impulsum: doloris, anxietatis, pruritus, famis, sitis, circuitum sanguinis et impetum in caput auctum, nimiam nimisque protractam mentis contentionem, animi pathema grave, nervorum sensum acutiorem, vitam plasticam torpentem languentemque nutritionem. Perpetuum acutorum vigentium: inflammationum, febrium symptoma est, quodsi persistit, vel delirium portendit, vel insaniam. Praeterea motus febriles ciet, accendit febriculam hecticam, habitum extenuat, phantasiam exagitat, nervos conturbat.

754. A cerebro oppresso, exhausto, alti somni species nascitur in comate, lethargo, caro, apoplexia, typho. Coma, cataphora, levior somni morbosi gradus sine delirio et febre, dormientem ita premit, ut levi quidem stimulo expergefieri possit aeger, sed vix pulsus somnus denuo revertatur. Carus altissimus sopor dicitur ne potentissimis quidem stimulis discutiendus. Lethargus, sive veternus inexpugnabilis paene dormiendi necessitas est, quacum febris, mentis hebetudo et

deliria conjunguntur: cum hac typhomania convenit; differt ab ea somnus apoplecticus, in quo plena sensus motusque abolitio est, cum respiratione molesta, stertorosa, nec multum mutata initio saltem sanguinis circulatione. Quidquid cerebri vitam opprimit, aut infirmat, laesione dynamica, organica, mechanica: affectus animi tristes, corporis labor nimius, cerebri plethora, congestio, haemorrhagia, commotio, capitis vulnera, fracturae, frigus nimium, nimius cibus, vinum vinique spiritus, venena narcotica nimium eumque morbosum somnum arcessunt; cuius tamen alia erit, alia aetate, vitae conditione, rerum externarum affectione, animi corporisque habitu significatio.

Incommoda somni nimii sunt: vitae torpor, earum maxime actionum, quarum integritas ab animali nervorum systemate vigente pendet. Subinde salutaris est somnus protractus, crisin vel faciens, vel firmans.

755. Somnus perfectus cubantis habitu somnique tempore ac ratione cognoscitur, qualis ad naturae veritatem in scriptis Hippocraticis adumbratur. Imperfectus est idem ac particularis, aliis partibus vitae animalis dormientibus, vigilantibus aliis. Itaque sensus externi dormiunt, internis cerebroque agitatis, ut est in comate vigili, seu typhomania, soporis quâdam vigiliarumque conso-

ciatione. Par insomniorum ratio est cerebri quietem ac somnum interpellantium, par somnambulismi, summi gradus insomnii, vigilante cum sensorio medulla spinali, sensibus vero externis, praeter tactum, somno sopitis. Quod symptoma praesertim in pueros cadit et adolescentes puberesque puellas, mobili animo genereque nervorum, quum vegetativo systemate alterum animale opprimitur, quod pueritiae et pubertatis tempore, natura novam moliente vitae metamorphosin, evenire consuevit. Exinde somnus magneticus, qui dicitur, multaque magnetismi animalis phaenomena repetenda ac critico sanoque ponderanda judicio, nec credenda nimis facile; exinde quoque mala ducenda bonave tum physica, tum moralia, quae ab eo vel sperare, vel metuere oportet. Neque obscurum est, quid de eorum tenendum sit opinione, qui statuant, esse hunc somnum perfectiorem vitae humanae facultatumque mentalium conditionem, quâ ad altiora evehuntur naturaeque mysteriis initiantur homines.

FUNCTIONUM SEXUS SYMPTOMATA.

756. Nutritio, reproductio, generatio uno continentur vitae plasticae munere, quarum haec sum-

mam vitae energeiam poscens, nonnisi ab adulto perfectoque homine rite exercetur.

757. Nempe non tantum singulis hominibus, verum etiam generi prospiciens humano, sexuum diversitatem natura condidit, utrique in hoc opere suas tribuens partes ac munia hisque obeundis peculiarem fabricationem.

758. In mare testiculus, in femina ovarium adparatus genitalis pars praecipua, in quibus tum semen foecundans, tum ovum foecundandum generatur. Caeterae epididymides, vasa deferentia, vesiculae seminales, urethra, penis, tubae, uterus, vagina, cunnus huius tanquam productiones sunt aut adpendices, sine quibus semine ovum foecundari, hoc suo loco incubari suoque tempore excludi rite non posset. Nam mucosa, commune organorum secernentium fundamentum, investiens urethram, vesiculas seminales, ductus deferentes, per tortuosas atque longissimas canaliculorum seminalium ambages producitur, ac similiter labia, vaginam, uterum, tubas, ovaria intus obducit; qua perspecta structura, tam harum partium cum reliqua secernendi officina, quam cum cute aliisque organismi mucosi partibus cognatio et sympatheia perspicitur.

759. Vir ad procreandum invalidus est vitio seminis, genitalium, nervorum. Oportet enim semen esse copia ac crasi legitimis, cuius secretio

universales subit secretionum leges et sanguinis, vasorum, nervorum, ipsiusque animi conditionem sequitur. Quamobrem inedia, corporisque ex morbo, frequentiori concubitu, manustupratione languor, narcotica, spirituosa, immoderata corporis animique virium defatigatio, nimiaque salacitas aeque ac frigidus, aut tristis animi habitus caussarum numero juremerito adscribuntur. Penis ad erigendum impotens est, ex eius torpore vitali, veneris abusu, virium oppressione, nervorum animique perturbatione, prava conformatione, morbis organicis.

760. Nimiae tentiginis affectus est in priapismo, quae citra veneris appetentiam est et satyriasi, quae cum inexplebili salacitate. Alterum cum dolore, cum voluptate alterum, utrumque spasmodicum, similibus caussis oboritur: irritatione, loco ipso, remoto, a viru syphilitico, diureticis, aphrodisiacis remediis, vermibus, infarctu, calculo; neurosi, delirio, spasmo: in hydrophobia, mania, hypochondriasi, tetano.

761. Impotentem ad semen ejaculandum faciunt: vitia organica testium, epididymidum, vasorum spermaticorum, deferentium, vesicularum seminalium, prostatae, urethrae, penis, praeputii, scroti, inguinum. Tum etiam nervorum musculorumque semen ejaculantium torpor, resolutio, viribus aut infirmis inopia, aut copia humorum oppres-

sis. Incontinentiam seminis, gonorrhoeam, quae morborum magis, quam symptomatum numero comprehenditur, tum corporis universi, tum genitalium infirmitas: ex venere, manustupratione, vivendi ratione efficiunt. Utrumque vitium saepe quoque nervorum aegrotantium animique pathematum vires exsolventium sequela est.

762. Feminam ad concipiendum foetumque alendum, excludendum aptam reddunt corporis, genitalium proba conformatio, una cum catameniorum tempore, copia, dotibus legitimis proventus, quorum secretio vel deficiens, vel immoderata, vel perversa innumeris caussis efficitur, uterum, vaginam, systema mucosum, cutaneum, vasa, nervos spectantibus. Minime tamen solo hoc fluxu feminae valetudo cognoscitur, sed reliqui organismi cum hoc munere sexuali comparatione.

763. Menstrua sanguinis evacuatio, aut nulla est aut tardior: nulla ex peculiari corporis conditione, aut vitio genitalium; tardior propter atresiam, ubi exhalatur quidem, sed nulla exhalati excretio est, propter uteri totiusque organismi genitalis impeditam ex morbo febrili, scrofuloso, ulceroso, verminoso, cutaneo evolutionem: unde congestiones, haemorrhagiae, profluvia, morbi organici aliarum partium, dyspepsia, diarrhoea, chlorosis, hydrops, ipsaque mors sequitur. Etiam virilis viraginum habitus et ad morbos generis

arteriosi proclivitas huius loci est. Imperfecta haec functio est temporis, copia, craseos sanguinis exhalati ratione, ex organismi universalis et genitalis discrepantia discordiaque, propter morbum genitalium congenitum, acquisitum, organicum uteri, ovariorum, vitae plasticae torporem, in convalescentibus, profluviis, crebro partu, lactatione, vitae genere debilitatis, et lymphaticorum, glandularum, venarum abdominalium valetudinem: unde congestiones, haemorrhagiae, neuroses existunt. In arteriarum quoque et nervorum genere huius, potissimum si cum dolore est, symptomatis fons quaerendus et in vicariis profluviis menstruis ad nexus partium organicos, ad cutim, mucosas, ad corporis diathesin, ad irritamenta topica mens convertenda.

Modum naturae transgreditur haec functio, ubi ex praematura pubertate, aut ex plethora universali, topica, orgasmo, ulcere, carcinomate uteri, turbata circulatione abdominali in scrofulosi, infarctu viscerum, congestionibus, ex diaeta lautiori, stimulante, concubitu, phantasia libidinosa, lectione, saltatione, balneo, aëre, arctiori vestitu, in detrimentnm reliqui corporis crebrior, uberior sanguis menstruus profunditur.

Supprimitur haec evacuatio, naturae lege, mulieri gravidae, vetulae, convalescenti, male nutritae, debili, praeter naturam ex erethismo ner-

vorum, impetu aliorsum derivato, lymphaticorum, intestinorum aegritudine, irritamento psychico, physico, a medicamento, cibo, potione, frigore, genitalium spasmum, phlogosin, organica vitia provocantibus, eventu bono, malo, tum partibus ipsis, tum reliquo corpori. Mala inde metuenda nunc vasa, nunc nervos tentantia inflammationum, febrium, profluviorum, aut spasmorum, neuralgiarum, paralysium specie prodeunt.

764. Feminarum sterilitas varii morbi symptoma est: corporis conditionis phlegmaticae, virilis, vitiorum adparatus genitalis, ovariorum, uteri, vaginae. Horum defectus, concretio, ruptura, prolapsus, scirrhus, tumores, atonia, torpor, abortus, partus difficilis, febris, syphilis, hydrops, coïtus petulantior, corporis animique disparilitas inter utrumque conjugem impediunt, quo minus concubitus foecundus sit.

765. Incommoda gravidarum partim digestionis officinam, partim genus vasorum, spirandi instrumenta, nervos, musculos, partim systema uterinum et mammas spectant. Nausea, cardialgia, vomitus ex nova uteri vita et munere, vasis, nervis omnique hoc entozoo genitali mirum in modum crescentibus et nova uteri sympatheia atque consensu cum canali cibario et plethora abdominali nascuntur; alvi tarditas, obstructio, ex mechanica, organica laesione, dyspepsia, neuralgiae in-

testinorum, appetitus alienati, in genere vasorum: signa congestionum, plethorae topicae, haemorrhagiae, varices, in spirandi officina: tussis, asthma, in cute: efflorescentiae, icterus, oedemata, hydrops cellulosae, in systemate uropoïetico: stranguria, dysuria, ischuria, enuresis, ex sympatheia, spasmo, phlogosi, paralysi, atonia, mechanica pressione, in vita animali dolores: cephalalgiae, odontalgiae, coxalgiae, animi deliquia, asphyxiae, convulsiones; in partibus genitalibus ipsis: uteri phlogosis, rheumatismus, gangraena, prolapsus, obliquitas, mammarum hypertrophia.

766. Sublato inter uterum et foetum commercio, fit abortus, cuius caussae in matre, aut foetu positae sunt. Languens vita matris plastica ex morbo acuto, chronico, sanguinis, humorum jactura, inedia, lactatione, coitu immoderato, pravo victu et aëre eoque praeter modum aut calido aut frigido, uteri debilitate, valetudine, fluxu, laesione mechanica: ictu, casu, saltu, cursu, nixu, vitio organico, placenta orificio uterino accreta, quibus intempestive solvitur et excluditur ovulum aut foetus, contractiones uterinae cito nimium concitatae, propter animum commotum, consuetudinem, consensum, medicinam. Foetus prava conformatio, perversus situs, morbus, mors abortum concitant. Caussae partus precocis, quo foetus ante decimum

mensem lunarem excluditur, hinc intelliguntur.

767. Praegnationis ultra naturae modum protractae in animalibus exempla prostant et in homine, gravi licet de ea inter viros doctos controversia mota. Ab utero torpente, aegrotante fieri et partum reddere difficilem creditur: perpetua visa, foetu mortuo, arefacto, partim resorbto, superstite sceleto, aut crusta calcarea obducto.

768. Quae partum laboriosum, δυστοκίαν, faciunt vitia innumera, aut ad parturientem pertinent, aut ad foetum huiusve secundinas. Priorum praecipua sunt cum praegnans justo junior, annosior, primipara, plethorica, habitu corporis virili, aut contra debili, tenero, irritabili, aut phlegmatico, inerti, animo fracta, dolorum impatiens, vitio, morbo quocunque affecta mechanismum, organismum, vitam laedente utramque, uteri erethismus, orgasmus, plethora, spasmus, atonia, torpor, rheumatismus, situs perversus, vitiosa fabrica, ruptura, orificio augustiore, rigidiore, distorto, clauso, vaginae angustia, ruptura, prolapsus; pelvis arctior, male conformata; quae contractiones uteri nullas, spurias, languidas, nimis vehementes cient, partum retardant, aut omnino prohibent. Oppositus, partus justo citioris, eventus erit a pelvi latiori, depressa, nec satis inclinante aut curva. Foetus in caussa si habitior, capite enormi, monstrosus, languens, mortuus, situ perverso, ex-

trauterinus. Alias placenta, incongruo situ, ovi membranae crassiores, teneriores, aquae nimiae, nimis parcae, citius effusae, umbilicus propendens, foetum implicans, ruptus, obstaculo esse potest. Horum saepius plura concurrunt et partus difficultates augent. Haemorrhagiae, animi deliquia, convulsiones sub partu ab utero aegrotante, viribus prostratis, oppressis, doloribus atrocibus, non proficientibus concitatae, summum vitae discrimen adferunt. Partus non absolutus est, nisi placenta soluta et ejecta. Placentam retinent uteri torpor, spasmus, a sanguine obturatio: unde haemorrhagia, gangraena, febris putrida, mors.

769. A partu, quae observantur animi deficientia, profluvia, haemorrhagiae, debilitatem, virium contentionem, mutatam circulationem, sequuntur. Genitalium tumores, dolores, urinae difficultas a congestione, inflammatione, laesione harum partium. Lochiorum fluxus nimius, justo parcior, suppressus, alienatus, propter uterum non satis contractum, imbecilliorem, irritatum, morbosum, ulceratum, sanguinis dyscrasiam tum aliam, tum purulentam, cohibitam lactis secretionem, humorum impetum aliorsum conversum, phlogosin genitalium, aliorum viscerum, spasmum, inertiam, alienata lochia denique propter uteri, vaginae, corporis valetudinem. Notandum etiam cutis

functionem maximi habendam esse uti in hac critica secretione cienda, sustentanda, ita in omni parturientium, puerperarum vita tuenda momenti.

770. Justo parcior lactis secretio ex inedia, inanitione, habitu corporis minus femineo, graviditate, papillarum, mammarum vitio, inflammatione, ulceratione, scirrho, vulnere, ulcere, fissura, obstructione; inflammationum serosarum, febrium subito suppressa haec secretio saepe origo et symptoma grave. Nimia ipsa ex polychymia, perpetua mammarum irritatione, congestione, aliarum secretionum suppressione, inanitionem, tabem nervosam provocat.

771. Lac vel justo dilutius, serosum, vel justo spissius, butyraceum infanti alendo ineptum digestionem, nutritionem eius pervertit. Ab animi affectu veneni instar dolores colicos, vomitum, diarrhoeam, convulsiones tenellorum movet, ut lactis indoles in futuram quoque infantum valetudinem, morbos, mores magnam habere potestatem ac vel nutritionis turbas: cachexiam, scrofulosin, rhachitidem, vel nervorum intemperiem efficere nonnullis credita sit.

772. Isthaec functionum sexus symptomata ut rite explicentur, ad propriam cuiusque aegrotantis et locorum naturam et reliqui corporis mentisque conditionem attendendum et omnia valetudinis adversae symptomata secum invicem conferenda, ut

ex aliis aliorum interpretatio petatur atque natura sui ipsius adhibeatur interpres; quod generale praeceptum quam latissime per omnem non tantum symptomatologiam, sed medendi quoque disciplinam patet.

DE SIGNIS EX HABITU CORPORIS.

773. Ultimo loco signa ex habitu explicanda, quorum arcta est cum vita plastica cognatio eoque maior universe et citior permutatio, quo gravior morbus.

774. Auctum corporis volumen a plethora auctaque nutritione in convalescentibus bonum, ab adipe, sero, in polysarcia, hydrope, cachexia, cacochymia malum. In singulis partibus ab iisdem affectibus, sed topicis illis subnascitur.

775. Imminutum ab inanitione, inedia, spasmo, impedita circulatione, phthisi, morte generali, topica, in gangraena aut moribundis esse consuevit.

776. Color corporis mutatur, cute aegrotante, mutata circulatione cutanea, genere nervorum commoto. Pallor chloroseos, flavedo icteri, color luridus infarctuum, scorbuti, febris putridae, lividus contusionum, gangraenae, cholerae paralyticae, morbi caerulei, sanguinis dyscrasiae sig-

num est. Rubor congestionum, inflammationum, erysipelatis, exanthematum comes.

777. Calor corporis vel fallax, aut mendax nervorum prave affectorum sensus, vel medico manifestus, in morbis acutis, febrilibus, inflammatoriis. In putridis mordax, in erysipelate, scarlatina urens, in hectica et neurosi quacunque fugax. Frigus initio acutorum, intermittentium, sub morbis spasmodicis, ab inanitione, post haemorrhagias, ex gangraena, sphacelo, cum aliis signis ominosis observatur.

778. Quae ad decubitum, vultum, labia, os, linguam, hypochondria, artus pertinent signa, partim alio loco exposita, partim ad semeioticen et prognosticen revocanda ex ante dictis repeti, aut tuto praetermitti poterunt.

NOSOGRAPHIA GENERALIS, MORBORUM DIFFERENTIAS FORMALES TRADENS.

779. Jam enarrandae sunt morborum differentiae accidentales sive formales, quarum notitia in condendo systemate pernecessaria et utilissima ad eorum scientiam perficiendam, praedicendum eventum, moderandamque curationem.

780. Scilicet morbus eo usque evolutus, ut for-

ma definita sensibus adpareat, et temporis leges subit et spatii finibus circumscribitur. Exstat inde duplex morborum differentia formalis, altera ad tempus, quod implet, altera ad locum, quem occupat spectans. Quas formales morborum differentias quae tradit pars pathologiae, Nosographia generalis dicenda, ad morborum historiam naturalem cognoscendam ducit et plurimum confert. Quamobrem hanc nobis optantes scientiam ad illas differentias exponendas jam accedimus, spe ducti, fore ut ipsam nobis comparemus.

DE MORBORUM RESPECTU TEMPORIS DIVERSITATE.

781. Morbus ut vita, cuius species est, temporis legibus obsequitur; quod declarant illius ortus, aetates, cursus, finis: unde existunt morborum differentiae ab origine, a decursu, ab eventu.

DIFFERENTIAE MORBORUM AB ORIGINE.

782. Respectu originis dividuntur morbi in haereditarios, congenitos et acquisitos, vel adventitios.

783. Haereditarii sunt, qui a parentibus ipsa generatione in subolem transeunt, ita ut sive ipsi sive ipsorum seminium cum foetu nascatur. Hoc seminium in corpore latet ut plurimum, suo demum tempore evolvendum, atque vel paternum, vel maternum, immo avitum est, externo subinde corporis habitu et valetudine conspicuum. In omni corporis compagine haerere, nec solis profecto humoribus inesse videtur. Horum morborum facilior longe prophylaxis, quam therapeia.

784. Congeniti morbi, sive connati, ii nuncupantur, quibus affectus jam in matris gremio foetus in lucem editur, quique nec parentum alterutri ante conceptionem jam inhaeserant. Hi aut graviditatis tempore, aut sub ipso partu nascuntur, plerique a matre oriundi. Praecipue naevi materni, nisus formativi errores, monstra huc referuntur, nec non laesiones foetui in utero illatae morbique contagione in foetum translati.

785. Reliqui adventitii, acquisiti, post partum nati, ad quos transitum facere videntur, quos infans ex nutrice, cuius ubera sugit, contrahit, humoribus tamen solis non rite adscribendi.

786. Notari inprimis meretur distinctio inter morbos protopathicos, sive primarios et deuteropathicos, sive secundarios. Hi ab alio morbo praecedenti originem ducunt eoque vel desinente, vel persistente, ut duplex, multiplex corpus teneat

valetudo. Utraque suam degit vitam suaque forma conspicitur. Deuteropathicus cum symptomate non confundendus, licet nonnullis rationibus et multiplici etiam successionum serie cum eo conveniat. Quae exinde surgunt variae morborum species cum in arte facienda, tum in exarandis morborum historiis utiliter distinguuntur.

787. Quaecunque ab aetatibus, sexu, temperamentis proveniunt morborum differentiae ad seminia, quae a vitae genere ad potentias nocentes referendae sunt atque ibi locorum expositae inveniuntur.

788. Pariter aetiologiae disciplinam tangunt morbi congrui, incongrui. Legitimorum et spuriorum, tum materialium et immaterialium distinctio huic, qua gaudemus, pathologiae conditioni minus adcommodata est.

DE MORBI DECURSU.

789. Morbis, ut vitae, certus est a natura cursus praescriptus, quem in tardissimis aeque atque in acutissimis observare difficile est, in contagiosis vero quorumque forma magis expressa est, facile.

790. Hinc acutorum et chronicorum distinctio petitur, quorum illi celeriter et cum periculo de-

currunt, in hisce nec sanatio in propinquo, nec mors est. Utriusque generis sua praesensio suaque curatio. Nec chronicos celeriter, neque acutos tarde curare tutum est. Haec acutorum velocitas turbis febrilibus in circuitu humorum praecipue tribuenda, unde quos febris continua comitatur, prae caeteris huc referunt.

791. Nascitur morbus, increscit, decrescit, moritur naturae lege, quam in singulis et universis observare atque si fieri possit, interpretari oportet. Quamobrem duo primum discernimus tempora: incrementi et decrementi, quae evolutionis atque involutionis recentiores nominaverunt. A parvis initiis aut simplici principio natus symptomatum numero et saevitia augetur, plures semper partes et functiones invadens, donec acmen vitaeque vigorem attigerit. Ab hoc rursus declinans, alia post alia systemata organorum relinquit, donec tandem in atriis morborum subsistit vitaeque plasticae finibus, unde originem traxerat, continetur.

792. Incremento et decremento morborum comprehenduntur ipsorum stadia, sive aetates, suis singulae evolutionibus metamorphosibusque insignes. Illarum nonnulli tres vel quatuor, alii sex vel septem numerarunt; nos quatuor ponimus: aetatis primae, adolescentis, virilis, senilis stadia.

793. Aetas prima, initium, principium morbi, uti conceptio, signis prodromis, obscuris illis,

subindicatur. In aliis diuturnum, in aliis perbreve, nunquam prorsus deficit, nisi laesione externa mechanica, chemica corporis valetudinem affligente, quas tamen morborum numero exclusimus. Verum morbi initium est, quum hic suis signis manifestis suaque forma prodit.

794. Morbi incrementum, veteribus cruditas, illud tempus dicitur, quo morbi symptomata et numerosiora et graviora fiunt isque vigore, dominio, spatio, extentione augetur.

795. Sic adolescit, viget, floret lateque dominatur eiusque symptomata et gravissima sunt et plurima et manifestissima. In hoc tempus in acutis incidit coctio, sive πεπασμός, perturbatio critica, crisis, quae morte sive aegrotantis, seu morbi saepenumero terminatur.

796. Ultimo sequitur decrementum, senectus morbi, quo is viribus, materia, extentione minor rursusque simplicior factus in eas partes redit ac desinit, a quibus erat profectus. Idcirco signa pauciora, debiliora, obscuriora fiunt ac paulatim evanescunt. Hoc convalescentiae stadium cum stadio prodromorum comparaverunt.

797. Deflectunt quandoque morbi a cursu legitimo isque anomalus fit et intercipitur vel natura, vel arte, ut ipsi nova induti forma, quod metaschematismus, aut alio corporis loco prodeant, quod metastasis dicitur. Hac voce pluri-

mas plurimumque diversas comprehendunt morborum conversiones. Metastasis est, si antagonismi lege, secretione vicaria suscitata, morbus morbique materies locum mutasse creditur. Ea communis maximeque vulgaris vocis significatio. Metastasis est, quum in parte quandoque remotissima haud dispari ratione accenditur inflammatio, loco prius vexato, nunc a morbo libero. Metastasis est, quando ex phlebitide pus cum sanguine miscetur eiusque crasin tantopere pervertit, ut stimulo peregrino viscera inflammet. Metastasis est, sicubi vel per telae mucosae cellulas migrare, vel per poros membranarum et tunicarum organicos transmitti, vel per vasa lymphatica circumvehi humores alieni videntur. Qui, quum tam incertus sit vocabuli sensus, praestabit in singulis hunc sensum accurate definire quaeque partium antagonistarum, consentientium, auxiliatricium: membranarum, venarum, lymphaticorum, cellulosae, nervorum in hoc opere partes sint in unoquoque casu, inquirere.

798. Mutatur pariter decursus morborum tam compositione, quam complicatione eorundem, quarum illa duos pluresve morbos natura pares, sede diversos, haec vero et sede et natura dissimiles ponit. Quapropter ambos probe discernere, quia aliud postulant medendi genus, plurimum refert.

799. Singulorum morborum terminos exacte statuere arduum. Morbi natura, vehementia, se-

des, compositio, complicatio, vitae vigor in aegro superstes, rerumque externarum vires in computationem veniunt. Quocirca quem morbis natura posuit vitae cursum ac terminum incaute turbare, praecidere saepe periculosum et tutissima ea haberi sanatio debet, qua hoc vitae curriculo dimenso, sponte cedit.

800. An solus decursus discrimen morborum verum efficiat tale, ut ipsa natura sua indoleque differant, qui differunt decursu, eapropter a multis dubitatur, quoniam et longus et brevis eandem partem afficere potest. Suadet tamen analogia, animalium plantarumque instar morbos suum habere vitae curriculum, circuitum vocant, rationem systematum aegrotantium aeque ac corporis aegri sequens, quod tam in decursu universo, quam stadiorum singulorum notandum. Caeterum et rerum externarum potestas et gradus morbi eiusque complicatio multis modis hunc circuitum mutant, ut magna requiratur in observando animi contentio, in curando prudentia, ne medicus pravam medicinam faciens malo arma ministret, aut elabi sinat agendi opportunitatem.

801. Praeterea typus animadvertendus est, id est certus ordo successioque actionum atque vicissitudinum morbum efficientium, quo sive manifestiore, seu obscuriore nullus plane vacare morbus creditur. Ipsius varia notantur genera. Prius

exacerbationis et remissionis morborum, paroxysmum, accessionem efficiens, qui regularis, irregularis, fixus, vagus, mutabilis isque rursus vel anticipans, vel postponens. Alterum genus typum universalem et singularem complectitur. Ille ad universum morbi curriculum revocatur, hic ad singula illius tempora. Porro variam temporum rationem sequitur: septennis in morbis aetatum, annuus in morbis anni tempestatum, menstruus, septimanus, menstruus minor, in morbis vitae conformatricis; quartanarius, tertianarius, quotidianus, qui minor annuus, caet. Denique intermittens habetur, remittens, continens, pro varia remissionis et exacerbationis ad se invicem ratione. In illo utrum prorsus cesset morbus, apyrexiae, seu intercalari tempore, dubium. Hic nunquam perfecte continens, semper quietis tempora, utut brevissima, nec certo ordini adstricta habet, atque vel homotonicus, vel epacmasticus, vel paracmasticus vocatur.

802. Cuncta haec typi genera minus recte a sola morbi vehementia, rectius a partium aegrotantium natura et vita inprimis repetunt, ut typus intermittens nervorum, remittens systematis gastrici vitaeque vegetativae, continens vasorum valetudini adscribatur: vespertina morborum exacerbatio ad systema vasorum, meridiana ad primam officinam, nocturna ad nutritionis secretionisque adparatum magis videatur pertinere.

803. Typi caussam quaerenti obveniunt multa naturae phaenomena eundem servantia ordinem: telluris circa axem et circa solem conversio, unde dieï noctisque vicissitudo annique tempora; lunae phases, motus et quietis in vita organica successio, vitae animalis somnus alternaque vigilia, evolutionis periodi; quae testantur periodos typosque amare naturam, quibus corporum tam inanimatorum, quam animatorum et macrocosmi et microcosmi motus actionesque adstrinxit, quibusque plantarum, animalium, hominum vitae moderantur.

804. Caussae typi proprii repetendae sunt potissimum ab organis affectis eorumque in prospera valetudine periodica vitae ratione; qualis menstruus in morbis vitae conformatricis et genitalis, quotidianus, exacerbatione pomeridiana, in morbis gastricis. Typus stadiorum morbi cursum sequitur. Typus crisium partim a typo morbi, quem judicant, partim a vitae munerum typo pendet, in morbi vim renitentium, quare typus criticus cum typo vitae vegetativae congruere solet: septenni, annuo, menstruo, septimano, tertianario, quotidiano, nocturno, quo tempore ea vita maxime viget.

805. Quicunque periodicam totius vitae rationem et singularum illius actionum contemplatur cumque morborum typo confert, ad huius cognitionem perficiendam, inde multum proficiet.

DE MORBORUM RESPECTU SPATII, QUOD OCCUPANT, DIVERSITATE.

806. Differunt quoque morbi respectu spatii, dominii, sedis. Qui longe lateque dominantur, populares, pandemii, qui singulos modo homines aggrediuntur, sporadici, dispersi vocantur. Popularium scientia optime tradetur, si tanquam unum et simplicem morbum spectemus. Primum de sporadicis eorumque varia sede.

807. Natura idem morbus prout diversas partes obsidet, symptomatibus, duratione, eventu discrepare potest: hinc diagnosi, prognosi, methodo medendi, quare medicum decet sedes morborum rite discernere, nec sua caret utilitate, quae ab hac conditione petitur differentia.

808. Huius classis sunt morbi externi, interni, fixi, vagi, retrogradi, universales, locales. De quo genere monendum est, morbum totius corporis nullum esse, licet multi ita videantur. Est enim morbus aliena vitae forma, addita humanae, cuius quaedam integritas omnino superesse debet. Haec igitur distinctio tantum eo valet, ut secernat morbos peculiarem locum tenentes a morbis communia magis afficientibus systemata corporis, praecipue vasorum aut nervorum

partiumque similium consensu latius dominantium.

809. Prae caeteris tamen idiopathici et sympathici notentur. Prioris generis sunt, quorum caussa in eadem parte residet, in qua symptomata sese manifestant, posterioris, quum diversa est caussae ac symptomatum sedes, nec propria, sed aliena labe per consensionem pars aut functio laborat. Sympathicae igitur affectiones, symptomatum more, vitium, ex quo emanant, tanquam umbra corpus sequuntur hocque sublato disparent, quo nomine a morbis secundariis distant, quorum naturam tum demum adsciscunt, cum sympatheia in idiopatheiam transit.

810. Phaenomeni, solis corporibus organicis proprii, caussa ponitur in nervis omnia animantibus, connectentibus, vasis ubique sanguinem adferentibus, tela cellulosa quaevis vinciente, membranarum continuitate, structurae similitudine. Ab una parte cerebrum spinaeque medulla et nervi utriusque, ab altera systema gangliorum primaria sunt sympatheiae instrumenta. Commemorandus etiam vagus est, organa vitalia cum cerebro pariter et ventriculo conjungens. Consentiunt igitur primae officinae viscera et secum invicem et cum cerebro. Porro cor et pulmones, membranas et cutim, genitalia cum multis partibus et eiusdem lateris par-

tes consentire observarunt, quod partim nervorum, partim muneris, partim fabricae communione interpretantur.

811. In morbis mutatur saepenumero haec sympatheia et morbosa fit sive augeatur, sive novo societatis vinculo partes jungat. Par est antagonismi ratio, contrarias partium actiones efficiens, qualis est inter nervos et musculos, officinam primam et pulmones, cerebrum et ventriculum, hepar et cutim, quem qui novit, praeclare adhibet ad morborum sanationem.

812. Haec universalis morborum sympathicorum doctrina, quam in singulis persequi haud supervacaneum videbitur futuro morborum interpreti.

813. Cellulosa, commune partium vinculum, ex viscerum morbis, mutata perspiratione et absorbtione interna, bene multas patitur affectiones sympathicas: tumores, oedemata, hydropes, atque phlegmone incensa alias vicissim partes male afficit: cerebrum, cor, hepar, ventriculum, quod deliria, febris, icterus, vomitus manifestant; setaceorum in morbis curandis beneficia ratum faciunt.

814. Nervorum sympatheias testantur nervorum parium dolores, aut communis trunci ramorum eiusdemve lateris neuralgiae sympathicae motique doloribus spasmi et convulsiones et deliria et febres et pallores, tremores, vomitus, nec non mul-

tiplex sensus animalis motusque voluntarii in passione hysterica, hypochondriaca, morbo verminoso, neuralgiis intestinorum alienatio.

815. Sympatheias musculorum spasmi tonici, clonici ex vulnere, dolore, dentitione, partu, contagio, turbata cutis functione, torpores, lassitudines, tremores, morborum plurimorum praenuncia signa; febres, vomitus, diarrhoeae, colicae, ischuriae sympathicae declarant.

816. Mucosi systematis numerosae affectiones sympathicae, activae, passivae, nunc motus cient musculorum: spasmos, tusses, vomitus, diarrhoeas, febres, nunc dolores movent, nunc profluvia concitant sympathica, nunc catarrhos, laeso cutis munere, provocant et secum invicem, cum cute, cum adparatu secretorio arcta societate junguntur.

817. Membranarum serosarum phlogoses, hydropes sympathici tam aliarum huius systematis partium, quam viscerum vicinorum: cordis, pulmonum, lienis, intestinorum, uteri morbis dynamicis, organicis suscitantur. Etiam ex cutis et mucosarum valetudinibus aegrotant, quemadmodum a catarrho oriundae pleuritides, peritonitides, arachnitides, hydrothorax, hydropericardia, hydrops ascitis testantur.

818. In membranis fibrosis morbi observantur sympathici atque ex hisce in similes partes aut dissimiles pertinent, cuiusmodi sunt quae laesiones,

lacerationes, distorsiones tendinum sequuntur: convulsiones, spasmi, dolores, tumores periostei, loco a morbi sede remoto. Cartilagines, ossa vix affectionum sympathicarum sedes: plerumque ex morbis chronicis systematis fibrosi, perichondrii, periostei idque organico potissimum vitio, minus dynamico, aut sympathico.

819. Arteriarum fabrica et vita sympathiis repugnat. Par venarum ratio est. Capillarium vero sympatheias ostendunt calores, rubores, congestiones, haemorrhagiae, secretiones sympathicae ex neurosi, phlogosi, phthisi organorum remotorum, in quibus tamen rite aestimandis nervorum in ipsa efficacitas computetur.

820. Reliqui morbi sympathici organorum similis fabricae, muneris, adparatus partim his ipsis conditionibus nituntur, partim a nervis in ea manant. Antagonistici morbi in telis, organis, iisque quae secernunt partibus, potissimum increscente aut decrescente vitae conformatricis munere secretionibusque auctis, minutis cernuntur, tum phlogosi, neurosi, spasmo partiumque externarum cutisque et internarum viscerumque aut languente aut vigente vita. Restant morbi, qui vocantur habituales, quos a sympatheia acquisita, adsociatione, consuetudine repetunt, quorum interpretatio ex iis, quae supra dicta sunt (§ 110) habetur.

821. Haec ad morbos sporadicos. Ordine s-

quuntur pandemii sive populares, quorum alii endemii, vernaculi ex locorum natura et climate, alii epidemii, vulgares ab anni tempestatibus et caussis communibus manifestis, occultis, nec semper agentibus. Horum genus non certis regionibus circumscriptum subinde longe lateque dominatur rursusque evanescit vel rediturum, vel in perpetuum abiturum exsilium, novis exortis pulsum. Itaque pandemii ex communi caussa oriuntur; vel singularibus addicti regionibus, hi endemii plus minus perpetui, vel ex communi quadam sed inconsueta caussa profluunt, nec nisi ad tempus sese exserunt, epidemii dicti. Ad utrosque seminium requiritur commune populare: haec constitutio endemica, epidemica. Illa stabilis regionum situ, locorum natura, alimentis, aëre, climate gignitur; haec temporis conditione inducta variabilis, nihilominus tamen vel plurium annorum est, stationaria, vel anni tempestates secuta, annua, quae jam nervosa magis, jam phlogistica, jam gastrica, communem creat morborum characterem, genium vocant, cuius observatio prima esse medicorum artem facientium cura debet.

822. Morbus epidemius ut unus duntaxat et simplex morbus spectandus, singulari decursu, stadiis, natura insignis. Nascitur, crescit, decrescit, desinit singulorum morborum adinstar, nunc uno impetu invadens, nunc remittens paullisper,

intermittens, recurrens, cito aut pedetentim ortus, auctus, exstinctus, tantaque saepenumero tyrannide saeviens, ut universos morbos suae potestati subjiciat ipsique prospere valentes epidemiae regnantis vim experiantur. Caeterum neque omnes epidemii contagiosi, neque omnes contagiosi epidemii. Caussas quod attinet, non ex aëris vitio aut anni temporibus proficisci cunctos, vero est simile, sed plures altius reconditos ex universa natura atque populorum et generis humani vita manare. Praecipue vero rerum externarum conditio, status reïpublicae, mores civium, cultus, belli pacisque vicissitudines, calamitates publicae, voluptates et quidquid hominum animos erigit, enervat, graviter movet ac populorum vitam mutat, morbos populares provocare, alere, vel etiam permutare potest.

823. Atque his conditionibus populares morbos insigniter mutari, exsulare, exstingui penitus, novos inauditosque hactenus caput extollere, magnam hominum stragem edere, rursusque perire reï epidemicae historia testatur, quae cum gentium, generis humani, litterarum et artium, rerum politicarum, ipsius historia humanitatis arcte cohaeret.

824. Multiplex denique est endemiorum atque epidemiorum morborum connubium, adfinitas imperiique communio, quo fit, ut jam epidemius

morbus epidemicae constitutioni morboque populari regnanti subjiciatur, jam epidemicus locorum natura atque endemica constitutione mutetur, jam mixtum ex utrisque existat genus, quod tum epidemicorum, tum endemicorum, ex quorum connubio provenit, prae se ferat naturam et mores. Sic crescit morborum numerus, qui quominus infinitus evadat, naturae legibus cautum est.

DIFFERENTIAE MORBORUM AB INDOLE.

825. Superest morborum indoles atque eventus, quorum altera alterum parat. Illa complectitur morborum ingenia, mores. Itaque ex symptomatum magnitudine, gravitate, inter se convenientia, discrepantia magnus, parvus, benignus, malignus, regularis, anomalus, activus, passivus indolis respectu morbus dicitur.

826. Magnus vocatur, qui plura et gravia symptomata habet, nec tamen semper periculosa; parvus, qui pauca et levia. Discrepantiam monstrat collata cum synocho ephemera.

827. Benignus et malignus virium vitalium ratione ac significatione discernuntur. Illius salutarem indolem virtutis vitalis libere renitentis in

pulsu, reliquis vitae motibus indicia, symptomatum candor declarant, huius principio lenis et ad speciem mitis suspicionem movent actionum vitalium languor atque adynamia, neque organorum infirmitati, neque virium oppressioni, neque earundem defectui tribuenda, sed quam venenata potentia vitae inimica induxisse videtur. Haec vera maliglignitatis notio, quam morbis virulentis, contagiosis, pestilentibus, nervosis, putridis propriam, sibi ignorantiae asylum paraverunt medentes ac saepe prava medicatione intulisse visi sunt.

828. Affinis benigno malignoque regularis, exquisitus et anomalus, ille symptomatum convenientia conspicuus, hic a decursu, typo, forma regulari devertens symptomatum discrepantia notabilis, quapropter ingeniose istas anomalias *morbos morborum* nonnulli et habuerunt et dixerunt.

829. Morbi passivi et activi ratione virium renitentium denominantur, quae cordis potissimum et vasorum motibus se manifestant, ut ideo morbi acuti inflammatorii, febriles activorum, chronici, adynamici, febre expertes passivorum censu comprehendantur, nec probanda sit inventa a recentioribus inflammationum activarum et passivarum distinctio ac denominatio.

DIFFERENTIAE MORBORUM AB EVENTU.

830. Ultimo loco morborum commemorandus eventus est, cuius praescientia magnam et medico et medicinae conciliat auctoritatem dignitatemque, ad quam ars componenda est omnis, sive cunctandum sit, sive agendum, sive ad caussas, sive ad symptomata dirigenda curatio. Morbi sanabiles, recidivi, salutares, detrimentosi hoc titulo continentur. Nimirum sanescunt, aut occidunt; transeunt in alios morbos, aut ad mortem usque perennant.

831. Ex genere primo sunt, qui naturae et artis potestatem superant; sunt qui artis, non naturae, aut huius, non illius; sunt qui sanationem, nec eam tamen integram admittunt. Arte nondum perfecta naturaeque viribus non plane cognitis, multum hic ambiguitatis superesse liquet.

832. Qui morbus, quum videbatur sanatus, denuo recurrit, recidivus vocatur. A periodico distat, quod ad huius naturam recursio ista pertinet, ad illius non item. Ponit morbum imperfecte sanatum, aegrumve debilem, aut imprudentem.

833. Morbi salutares, qui in salutem corporis cedunt atque a gravioribus malis liberant; detrimentosi, qui illius perniciem adferunt, sive lethales

ipsa natura sua, sive neglecta aut prava curatione, sive per accidens, aut per corporis, in quod incidunt, habitum, nuncupantur. Maior huius distinctionis in praedictionibus, tum in medicina forensi utilitas foret, si certior earum rerum computatio.

834. Qui naturae viribus artisve auxilio sanescunt morbi, vel lysi sponte solvuntur ac cedunt; vel crisi judicantur, facta evacuatione, vel in alium abeunt morbum mitiorem. Lysis ea morborum sanatio est, quae placida, quae sensim fit et aequabiliter, quam nulla comitatur critica evacuatio. Crisis est, quae eiusmodi evacuatione magnisque et subito factis mutationibus stipatur, quae ut jure exspectetur, morbus acutus sit, gravis, febrilis, crisin praecedat coctio, quo tempore symptomata mitescunt et humores excernuntur crudi, non turbidi. Coctionem excipit subita magnaque in corpore perturbatio critica, quae evacuatione quadam, aut abscessu finitur.

835. Fiunt hae crises et evacuationes criticae certis quibusdam diebus, quos eapropter criticos nuncupant, quorum duos nonnulli statuunt ordines: alterum febrium continuarum continentium, continuarum remittentium alterum, quae sive paribus, seu imparibus diebus judicantur. Graves de hisce inter doctos agitatae lites non facile dirimentur, nisi ab iis, qui veterum et observationem et artem fuerint imitati. Interea monendum est,

universam crisium et dierum criticorum doctrinam non modo vitae legibus hucusque detectis et saniori theoriae non repugnare, sed iis vel maxime firmari, quemadmodum cogniti vasorum motus, vitae conformatricis actiones, nervi sympathici munera, periodi denique et typi, quos placidus vitae sanae cursus servat multaque alia naturae organicae phaenomena ostendunt, cum criticis phaenomenis consona.

836. In mortem denique desinunt morbi, de quo genere exitus deinceps, ultimo huius libri capite, dicetur.

DE SYSTEMATE MORBORUM NATURALI.

837. Historia naturalis chaos est, nisi perspicua methodo collustretur. Idcirco rerum naturalium: fossilium, plantarum, animalium, morborum systemata sunt condita, quae filum Ariadnes in labyrintho naturae.

838. Istiusmodi systematis, seu classificationis morborum specimen antiquissimum schola Cnidia dedit, in quo symptomata quaevis morborum nomine dicta sunt, quod puerile monstrat auctorum ingenium et justam meruit medici Coi censuram.

839. Inde mos increbuit, qui pariter Nosologiae

infantiam testatur, morbos secundum corporis regiones a capite ad calcem numerare, quem post renatas litteras mutavit primum Felix Platerus, facta morborum a symptomatibus praecipuis classificatione, quem tamen nullus deinceps secutus est, quamvis magnus Sydenhamus medicis Botanicorum in definiendis speciebus ἀκρίβειαν imitandam proposuerit.

840. Exstitit tandem Franciscus Boissier de Sauvages, medicus Francicus, qui seculo elapso medio medici Brittanni praecepto obtemperaret, edita Nosologia methodica, magnae molis opere, quod deinceps Brittannus pariter medicus Gulielmus Cullenus angustiori pelle coarctavit. Utriusque Nosologia methodica symptomatica est, magis tamen laudanda Culleni, in qua Sauvagesii classes et genera ad tertiam fere partem sunt reducta, absque ullo scientiae detrimento magnoque discentium commodo; ut minime mirum sit, hanc posteà vulgatam fuisse et reliquis antepositam.

841. Inscribuntur quatuor Culleni classes: pyrexiae, neuroses, cachexiae, locales. Pyrexiae ordines quinque comprehendunt: febres, phlegmasias, exanthemata, haemorrhagias, profluvia. Neurosium quatuor ordines sunt: comata, adynamiae, spasmi, vesaniae. Cachexiis tres adsignantur ordines: marcorum, intumescentiarum, impetiginum. Locales denique ordines septem

complectuntur: dysaesthesias, apocenoses, epischeses, tumores, ectopias, dialyses. Genera et species quod attinet, communi febrium titulo comprehenduntur intermittentes, a quibus fit initium, synocha, typhus, synochus, cuius species hectica habetur. Ad exanthemata etiam pestis et aphthae referuntur, ad haemorrhagias phthises variae, ad profluvia haec duo tantummodo: catarrhus et dysenteria. Adynamiarum vocabulo insigniuntur: syncope, dyspepsia, hypochondriasis, chlorosis. Ad spasmos et alia revocantur et pyrosis, diarrhoea, diabetes; ad intumescentias rhachitis; ad impetigines scrofula, syphilis, scorbutus, icterus; ad locales denique sensuum morbi, excretiones, retentiones, solutiones continui, sive dialyses, quarum species: vulnus, ulcus, herpes, tinea, psora, fractura, caries.

842. Hoc schemate docemur, artis esse magis, quam naturae opus et plures secum invicem jungi, quorum vix ulla cognatio est, cognatos alios separari, id quod in systemate artificiali aliter fieri nequit. Quapropter, ut a vocabulis ad etyma vocum adscendimus, sic ab eiusmodi morborum catalogo, ad systema naturae reperiundum progrediamur methodique naturalis fragmenta studiose inquiramus, quod primum et ultimum, in medicis pariter ac botanicis, desideratum est.

843. Naturalis classificationis principia non a

symptomatibus solummodo, ut Nosologiae methodicae auctoribus, non a therapeutice, ut Sellio placuit, petenda, neque a corporis regionibus, ad exemplum practicorum veterum, sed ab organismi vita, compositione, fabrica, ab analysi igitur organica, ab organis organorumque potissimum elementis. Ita a communibus continuo ad propria descendendo, classes, ordines, genera, species, varietates constituuntur.

844. Vitae organismi aut duplex ratio distinguitur, altera ad plantarum, ad animalium altera adpropinquans, aut triplex, quatenus sensu, motu, nutritione declaratur, et virtute sentiendi, motrice, conformatrice regitur. Si a priori distinctione classes repetantur, duae erunt: morborum vitae vegetativae vitaeque animalis, traditorum pridem, compendii initio; sin sequamur alteram, tres classes orientur: phlogosium, neurosium, morborum organicorum, quos nomenclatura Culleni pyrexias, neuroses, cachexias; anatomica, angeioses, neuroses, adenoses, aut parenchymatoses potius, prouti genus vasorum, nervorum, glandularum, sive partium parenchyma cellulosum teneant vexentque; sensu denique biologico aut zoologico, naturae philosophorum placitis congruo, morbos animalis vasculosi, nervosi, plastici aegrotantis nuncupare licet.

845. Nos trichotomiam retinebimus, statuentes

ac discernentes morbos vasculosos, nervosos, plasticos, quorum in priori classe vis irritabilis, motrix, in altera sensus, in tertia vis conformatrix peccat atque vel circulationis instrumenta, vel genus nervorum, quorsum etiam musculos, propter muneris affectionumque societatem, referimus, vel nutritionis organa: circulatio igitur, sensus motusque et nutritio a sanitatis lege deficiunt. Cogitantibus arborem vasculosam per universum corpus ramos suos emittere, ubivis radices agere, animal nervosum quaquaversum brachia sua extendere et expandere retia, ad dissitas quoque corporis partes pertinentia, fibram irritabilem tam spontaneos vitae organicae, quam arbitrarios motus ciere, a nutritione denique, cui secretio et absorbtio subjectae sunt, organismi integritatem pendere omnem, perspicuum erit, cur a primariis illis vitae muneribus, cur a circulationis et sensus motusque et vitae plasticae organis primam traxerimus maximeque generalem divisionem morborum.

846. Tres igitur magnas morborum tribus segregamus: morbos vasculosos, nervosos, plasticos. In priorem tribum cadunt acuti, febriles, in quibus naturae energeia, renisus vitalis, molimina critica eminent, a circulationis organis repetenda, quibus potissimum oeconomiae salus nititur. Huius census sunt: congestiones, inflamma-

tiones, exanthemata, profluvia, febres; quibus communia sunt signa irritationis, doloris, affluxus humorum, vitae capillaris auctae, corde ut plurimum simul commoto. Ordinum subdivisio a sedibus, quas tenent, praecipue ducitur; unde inflammationes discernuntur mucosae, serosae, fibrosae, musculosae, cellulosae, parenchymatosae. Exanthematum forma varia genera dabit, donec sedes accuratius sit cognita. Congestiones, haemorrhagiae, vasorum ipsorum, magnarum corporis regionum: capitis, thoracis, abdominis, aut partium singularum ratione disponuntur. Profluvia, quanquam principio saltem ex phlogistica manant corporis conditione, tamen quoniam, ut omnes secretiones, cum nutritione partium vitaque plastica quam arctissime cohaerent, aequo jure ad tertiam tribum morborum possunt revocari. Tam arduum est, humano systemate comprehendere naturam!

847. Altera tribus nervorum et musculorum complexa valetudines, magna affinitate junctas: neuralgias, comata, spasmos, paralyses et vesanias (sic mentis alienationes vocant) continet. Istae tam vegetativam, quam animalem vitam spectant, ut inter neuralgias censeantur tam odontalgia, cardialgia, colica, pleurodyne, quam prosopalgia et ischias nervosa; inter spasmos vero tam epilepsia, catalepsis, convulsio, tetanus, quam vomi-

tus, diarrhoea, cholera, et paralyses cordis, pulmonum, ventriculi, intestinorum, vesicae, uteri eodem genere atque artuum comprehendantur, quia in cunctis aegrotat pariter medulla nervea et fibra musculorum irritabilis.

848. Morbis vasculosis et nervosis febres ab una, rheumata ab altera parte affinia, neurosium atque phlogosium naturam ita conjungunt, ut nunc a vasis, nunc a nervis major valetudinis pars sit. Febris simplex, ephemera eique cognata synochus vasculosae naturae sunt. Huic opposita nervosa, vulgo typhus, nomine improprio; intermedia utrisque intermittens ex nervoso et vasculoso morbo mixtis. Magis compositae biliosae, gastricae, mucosae, catarrhales, adynamicae; hectica secundaria, nec sola tamen illa. Rheumata quoque vel magis phlogisticae sunt, vel nervosae magis naturae; nec dispar ratio est arthritidis et podagrae.

849. Numerosa morborum plasticorum tribu recipitur vulgus chronicorum et multiplex valetudinis genus: dyscrasiae, cachexiae, retentiones, profluvia, morbi instrumentarii, organici veterum nosologorum, porro vitia parasitica, calculi, vermes.

In hisce a norma sanitatis deflectunt nutritio et secretio partium, sive aucta hac ipsa minutave, in profluviis et retentionibus; sive affecto genere lymphatico: in scrofulosi, rhachitide, hydrope,

sive vasorum systemate et sanguine aegro: in scorbuto, chlorosi, melanosi; sive corporis habitu tabescente: in hectica, marasmo, phthisi; sive a cute in exanthematibus et impetiginibus, illis acutis, his chronicis; sive a genitali systemate: in syphilide morbi principium sit; sive vitia organica, parasitica, concrementa calculosa, aut animalia entozoa vis conformatrix a typo aberrans genuerit.

850. Atque hae tribus, familiae, genera jam schemate adumbrandae, quo facilius, uno sub conspectu positae, lustrari quaeant.

851. Cl. I. Morbi vasculosi, angeioses, phlogoses. Vasorum turgor, orgasmus, incitatio vitalis.

Ordo I. Congestiones. Sensus tensionis, ponderis in parte, munere impedito, oppresso.

Arteriosae.

Capitis.

Thoracis.

Venosae.

Abdominis.

Ordo II. Inflammationes. Rubor, tumor, calor, dolor, ex incitatione capillarium vitali, laeso munere partium.

Mucosae.

Narium. Coryza.

Faucium. Angina laryngea, pharyngea.

Tracheae. Catarrhus pulmonum.
Bronchiorum. Bronchitis.
Ventriculi, Gastritis } recentiorum.
Intestinorum, Enteritis }
Vesicae. Catarrhus vesicae.
Genitalium. Blennorrhagia.
Urethrae.
Uteri.
Vaginae.

Serosae.
Capitis Phrenitis, Arachnitis.
Pectoris. Pleuritis.
Abdominis. Peritonitis.
Hepatitis membranacea.

Fibrosae.
Arthritis.
Podagra.

Musculosae.
Carditis.
Diaphragmitis.
Rheumatismus acutus.

Cellulosae.
Phlegmone.

Parenchymatosae.
Encephalitis.
Peripneumonia.
Hepatitis.
Nephritis.

ORDO III. EXANTHEMATA. Cutis inflammationes, eruptiones, variae formae, desquammatione, exsiccatione terminatae. Saepe a contagio proprio, febre eruptionem praecedente.

Papulae. *Lichen etc.*
Squamae. *Lepra, Ichthyosis.*
Efflorescentiae. *Rubeola, Scarlatina.*
Bullae. *Erysipelas.*
Pustulae. *Variola. Scabies.*
Vesiculae. *Varicella. Vaccinia.*
Tubercula. *Elephantiasis.*
Maculae. *Ephelis. Naevus.*

ORDO IV. HAEMORRHAGIAE. Sanguinis exhalatio capillaris et excretio morbosa:

Mucosae.	
Epistaxis.	
Haemoptysis.	
Haematemesis.	Arteriosae.
Haemorrhoides.	
Suppressae.	
Haematuria.	
Menorrhagia.	
Amenorrhoea.	Venosae.
Cutaneae.	
Cellulosae.	
Serosae.	

852. Cl. II. Morbi nervosi, neuroses. Partium nervearum, muscularium sensus motusque alienatus, munere laeso.

Ordo I. Neuralgiae. Erethismus nervorum, cum sensu doloris.

Hemicrania.
Odontalgia.
Prosopalgia.
Ischias nervosa.
Rheumatismus nervosus.
Pleurodyne.
Cardialgia.
Colica.

Ordo II. Comata. Nervorum narcosis, torpor musculorum.

Carus.
Lethargus.
Apoplexia.
Catalepsis.

Ordo III. Spasmi. Motus musculorum incompositus ex sublato vasorum nervorumque aequilibrio et inordinata actione nervorum.

Tonici.
Trismus.
Tetanus.

Clonici.
Convulsio.

Chorea S^{t}. Viti.

Epilepsia.

Raphania.

Tussis quinta.

Vomitus.

Cholera.

Ileus.

Diarrhoea?

Hypochondriasis.

Hysteria.

Rabies canina.

ORDO IV. PARALYSES. Motus musculorum torpens, deficiens, sensu aut sopito, aut integro.

Artuum.

Paraplegia.

Hemiplegia.

Paresis.

Pulmonum.

Cordis.

Ventriculi.

Intestinorum.

Vesicae.

Uteri.

ORDO V. VESANIAE. Mentis sine febre alienatio.

Melancholia, monomania.

Mania.

Amentia.

Idiotismus.

ORDO VI. MORBI ex utroque genere, vasculoso et nervoso COMPLICATI.

Rheumata: neuralgiae, cum phlogosi musculorum, articulorum.

Febres, Pyrexiae. Cordis actio maior, circulatione accelerata, pulsu crebro, celeri, calore aucto.

Febris simplex.

Ephemera.

Synochus.

Febris nervosa, vulgo Typhus.

Nervosa versatilis.

Nervosa lenta.

Typhus.

Febris intermittens ex utroque genere juncto.

Febres complicatae.

Biliosa.

Gastrica.

Mucosa.

Catarrhalis.

Adynamica, putrida.

Pestis.

Hectica semper deuteropathica.

853. Cl. III. Morbi plastici, organici. Abnormis partium nutritio, secretio.

Ordo I. Morbi mucosi.

Blennorrhoeae.

Catarrhus chronicus.

Phthisis pituitosa.

Morbus verminosus.

Secretiones et Retentiones morbosae.

Icterus.

Alvi fluxus.

Diabetes.

Enuresis.

Ischuria.

Calculus.

Ordo II. Morbi lymphatici.

Scrofulosis.

Rhachitis.

Hydrops.

Ordo III. Morbi haematoseos.

Scorbutus.

Morbus maculosus.

Chlorosis.

Melanosis.

Ordo IV. Morbi hectici.

Atrophia.

Marasmus.

Phthisis.

Pulmonalis.

Hepatica.

Renalis.

Nervosa etc.

Ordo V. Morbi syphilitici.

Ordo VI. Morbi organici. Metamorphosis organorum per hypertrophiam, atrophiam, paratrophiam partium ea componentium.

Homoioplasia.

Cellulosa.

Fibrosa.

Ossea.

Heteroplasia.

Tuberculum.

Scirrhus.

Fungus.

854. Atque haec communia maxime sunt genera morborum, quibus cognitis specierum et varietatum cognitio facilius comparabitur, adhibita semper methodo, quam laudavimus, analytica. Ex altera classe magna febrium cohors, minime naturalis morborum familia, nisi lucente methodo, cognosci rite nequit, siquidem et cum inflammatione, congestione, exanthematibus et cum neuralgiis, comate, spasmo, delirio et cum secretionum turbis observatur saepius cordis motus, ab aucta irritabilitate acceleratus et multorum morborum febrilium maior pars sit a nervis,

iique cordis cum reliquo corpore sympathiae multiplicis potius symptomata, quam eius idiopathicae affectiones dici mereantur. Nec infrequens morbi vasculosi cum nervoso, utriusque cum plastico morbo complicatio est et crebra morborum inter se connubia: morbi mucosi cum lymphatico, haematoseos cum hisce, hectico, syphilitico et crebra similiter ex scrofuloso, syphilitico, nervoso, vasculoso morbi genere homoioplasiae, heteroplasiae origo. Quare longaevâ tantum experientià summâque doctrinâ subtilior specierum notitia acquiri poterit; cui tamen acquirendae priores illae nulli sufficient, nisi ingenium adferat methodicum, theoreticis disciplinis instructum. Recte igitur quod de botanico Linnaeus, de medico quoque praedicatur: tyro novit classes, candidatus omnia genera, magister plurimas species; quo plures, eo praestantior est. Cognitione specierum innititur omnis solida eruditio physica, medica, imo omnis omnino cognitio humana.

855. Caeterum tenendum est, nullum omnino systema utut naturale magnaque felicitate exaratum, adeo teres fore et rotundum, ut exacte referat vultum naturae. Mutantur cum moribus ingeniisque hominum disciplinae, eodem semper et immutato vultu naturae. Tale autem systema, si prae reliquis futurum sit longaevum, fundamentis nitatur in ipsius cognitione organismi jactis atque

ab analysi corporis organica ducatur, oportet. Quocirca non botanicorum tantum, sed zoologorum ante omnia exemplar medici sibi imitandum proponant.

DE MORTE EIUSQUE GENERE VARIO.

856. Unus nascendi modus, plures moriendi, quos ultimo libri capite paucis commentari fert animus.

857. Ea, quae de morte varioque mortis genere exponit disciplinae medicae pars, thanatologiam vocabimus, tam parum hucusque culta est, ut ferme inter desiderata reponeremus, nisi exstarent pauca quidem, at praeclara virorum doctorum hunc locum interpretandi specimina.

858. Mors vel naturalis vitae finis est, rara ea sors mortalium, vel praeter naturam, laesione, morbo, animi aegritudine illata: utramque jam contemplabimur.

859. Ubi vitae naturalis terminus mors est, senectute confectus moritur homo, ex constanti vitae lege, qua intereunt tandem corpora organica, quorum finis ab origine pendet. In ea vitae munera sensim et pedetentim deficiunt. Obdormiscit primum vita animalis: visus, auditus, tactus, odoratus, gustus denique et phantasia, memoria, judicium, solaque organica vita vigilante, em-

bryoni simillimus senex foret, nisi ab eo distaret internae vitae energeia decrescente. Ipsa a superficie corporis incipiens ad internas viscerum sedes vitaeque fontes lente proserpit, ut deficiant primo circulatio capillaris, nutritio, secretio, inde vasorum majorum motus, tandem cordis ipsius et quemadmodum a vita plastica vivendi initium factum erat, sic in eadem vivendi fines ac termini constituantur. Atque hoc fatum senile, de quo praeclare Hallerus: ,,,, senibus aliquo ante mortem tempore manuum, oculorum, pedum officia penitus deficiunt. Sensuum vix ullus superest usus et pulsus minimus est et intermittens et somnus, aut certe sopor aliquis frequentior ingruit. Deinde etiam loquela difficilior fit, neque caput se sustinet, neque manus animae imperata exsequuntur; Cor manifesto aliquamdiu ante mortem sanguinem non potest per arterias in venas propellere. Inde pedes sanguis deserit et calor sursum recedit cum sanguine, quem cor, breviori semper unda, ad inguina, renes, diaphragma pellit, donec vix a corde profectus iterum in cor relabitur. Plerumque cor aliquot pulsuum intervallis quiescit et denique, sanguine relabente et per venam cordis motui superstitem adpulsu irritatum, molitur pulsum et se eo sanguine liberat. Sic per intervalla et cor pulsat et inspiratio subinde aliqua succedit, donec ne accumulatus quidem sanguis possit cor

ad motum excitare, cuius et sensus perierit et vis musculosa. Et tunc pulsus interrumpitur nunquam rediturus. Primus autem ventriculus sinister quiescit, denique etiam dexter. Inde auricula aliquamdiu palpitat. Ultima vena cava sanguinem alterno motu et versus aurem impellit et relabentem recipit; quoad et ipsa ad stimulum obsurdescat."" "

860. Caussam huius mortis proximam Hallerus in vi cordis irritabili deleta, alii in sensu ad stimulos sublato, in nimia partium rigiditate, virtute nervorum, cerebri, medullae spinalis extincta collocaverunt, prouti sua cuiusque doctrina ferebat. Ante alia illud vero proximum placitum, quod ipsum ab atrophia repetit, potissimum generis nervorum, a nervis sensuum corporisque limitibus nata, qua quominus organismum animent nervi, impediuntur. Quam thesin firmant senilis corporis habitus, omnium partium decrementum, rigiditas, osteogenesis morbosa, nervorum hebetudines, torpores musculorum, marasmus denique senilis ac reliqua senectuti propria incommoda.

861. Naturalis vitae finis eapropter habetur, quia ab organismi finibus ac limitibus profectus ad partes maxime vitales tarde progreditur, ut illud potius sit vivendi finem facere, quam mori. Ab eo discrepat prorsus mors ista, quae vitam abrumpit, vulgo *per accidens* dicitur, quamque

paralyticam nonnulli et habent et nuncupant. Huius tria genera sunt: mors cordis, mors pulmonum, mors cerebri: *syncope*, *asphyxia*, *apoplexia*, a triplici vitae fonte, quorum apoplexia vitam animalem, reliquae vitam organicam spectant, eo nexu vinctas, ut ab una ad alteram transeat.

862. Mors cordis, deleto pulsu, turgore, rubore, calore vitali, et cerebro et pulmonibus mortem adfert: cerebro propter deficientem motum et impulsum sanguinis legitimum. Nempe corde mortuo nulla organorum a sanguine incitatio, refectio, animatio, nulla cerebri, nulla huius beneficio partium sentientium, motricium. Pulmonibus propter cerebri mortem spiritus eiusque actio tum mechanica, tum chemica suspenditur, prior morte cordis arteriosi, posterior venosi. Supersunt interdum aliquamdiu vitae internae vires et munera: nutritio, secretio, absorbtio, quae tandem et ipsa silent. Evenit mors cordis ex gravi pathemate, dolore, humorum jactura, vulnere, haemorrhagia, profluvio, suppuratione, inedia, inanitione, gangraena, febre, cordis denique vitio organico: polypo, aneurysmate. Itaque corde quiescente vitae munerum intermissio est: animalium, quia cerebrum sanguinis adpulsu nec ipsum excitatur, neque excitat alia: organicarum, quia deest legitimus partium stimulus et alimentum.

863. Mors pulmonum, quae dyspnoea, apnoea,

suffocatione lividoque cutis colore dignoscitur, sive mechanica eorum actione sublata, sive chemica, cordis mortem facit. Silente pulmonum mechanismo cor moritur, nato sanguini circulanti impedimento, neque ipsum a sanguine alluente concitatum. Silente chemica pulmonum actione cor moritur, inopia sanguinis arteriosi, venoso sanguine lacertarum cordis vim actionemque debilitante. Ex pulmonum morte cerebrum moritur sive defectu oxygenii, sive carbonii inimico stimulo, sanguine nigro in hanc partem advecto. Tandem ex asphyxia mors universalis fit hoc modo: nulli mechanici spirandi motus, nulla chemica sanguinis metamorphosis, nulla cerebri actio, aut sensus, aut motus, aut vox, nulla circulatio generalis, nulla capillaris, neque exhalatio, secretio, digestio, absorbtio. Qui vitae exitus non tantum ab aëris vitalis vitio, aut nocivi aëris inspiratione, sed plerorumque morborum est maximeque communis. Posse tamen, chemica hac sanguinis metamorphosi cordisque motu torpentibus licet, aut intermittentibus, et vitam superesse et cerebri actionem et motus, morbus caeruleus, cholera Asiatica, animi defectio, mors adparens asphycticorum, submersorum, suspensorum testantur.

864. Mors cerebri, apoplectica illa, specie somni, aut subitanea sensus motusque paralysi notabilis, pulmones morte ferit, silente mechanismo pri-

mum, dein chemismo respirationis: motu intercostalium, diaphragmatis, interno pulmonum. Pulmone cerebri morte extincto et cordis cohibetur actio et reliquorum organorum, propter intermissam respirationem. Interdum cerebro licet paralytico, produci quadantenus vitam organicam, cerebri commotio, apoplexia, hydrops docent. Itaque cerebri vita deleta eius actio deletur et sensus motusque. Sequitur paralysis diaphragmatis et intercostalium, motuumque spirandi mechanicorum intermissio et actionis chemicae et circulationis languor et mors cordis et defectus caloris animalis et vitae organicae extinctio. Rara nisi in apoplexia, hydrocephalo, febribus phreniticis capitisque laesionibus mors cerebri. Caeterum triplex mortis genus discernitur sanguinis rubri aut nigri in systemate arterioso praesentia, pulmonum vacuitate aut oppletione, subitanea aut lenta circuitus suppressione. Illa syncopes, haec asphyxiae, et apoplexiae propria signa. Moriuntur in syncope organa reliqua ex motu sanguinis deficiente, in apoplexia aut asphyxia ex illius deficiente stimulo vitali ab oxygenio aëris et propria crasi.

865. Quodsi quaeratur, quaenam regni nervorum provincia in singulo mortis genere potissimum vexata sit, in syncope sympathicus cum spinae medulla cohaerens, in asphyxia vagus, in apoplexia thalami nervorum opticorum, corpora stria-

ta, corpus callosum, nucleus cerebri esse videntur.

866. Haec tria mortis genera suas singula species comprehendunt, quae partium primo morientium aut laesarum, conditionum corporis caussarumque, quibus fiunt, discrimina spectant, tum moriendi tempus, et modum et rationem, quae phaenomenorum complexus et ordo signabunt. Syncope alia ex corde aortico, alia ex corde venoso, alia ex plethora, alia ex inanitione, alia ex sanguinis dyscrasia, ex nervorum genere, ex vitio organico; alia idiopathica, sympathica alia; nunc brevis uno ictu interimens, nunc longior per vices rediens tandemque mortifera. Similiter asphyxia jam laeso organorum spirantium mechanismo, jam cohibita sanguinis in pulmonibus metamorphosi sive a morbo dynamico, organico harum partium oborietur, sive ab aëris vitio, sive a virium oppressione, adynamia, consensu. Nec dispar apoplexiae est ratio, plethoricae, nervosae, protopathicae, deuteropathicae, sympathicae: ex laesione mechanica, morbo dynamico, vitio organico natae, quod per symptomatum syndromen et caussarum, quae antecesserant, notitiam cognosci optime poterit.

867. Utrum ultima caussa moriendi in paralysi recte ponatur et genere nervorum, an vero uti tres discernuntur vitae formae: sensus, motus, nutritio, ita tria distinguenda sint genera mortis:

a vi nervea, vi irritabili, vi conformatrice extinctis tum demum forsitan poterit definiri, quum, quo singuli morbi mortis genere terminentur, erit indagatum, quod jam facto opus est.

868. Qui prima classe continentur morbi vasculosi, quorsum congestiones, inflammationes, exanthemata, haemorrhagiae pertinent, aegros tollunt virium oppressione, abscessu, gangraena, inanitione caet. Verum per singulas partes eundum, quo pleniorem nobis hanc scientiam efficiamus. Congestiones, nisi in phlegmasias, aut haemorrhagias abeant, partium munera sanguinis impetu et mole impediunt. Obtunditur, aboletur sensus, torpet, silet motus, mutatur, abundat, languet, perit prorsus nutritio, secretio, absorbtio, quoque nobiliora viscera occupaverit plethora, eo citior, aut certior mors veniet. Plerumque tamen viscus plethoricum aut inflammatur, aut haemorrhagiam patitur. Quodsi non fiat, paralysin experietur sanguineam, aut hypertrophia suffocabitur, aut vicinarum partium vitam opprimet.

869. Mors ex inflammationibus vel ex nervorum, vel ex vasorum genere est, vel ex impedito, aut suppresso partis inflammatae munere. Ex nervorum genere mors est, ubi convulsionibus extinguitur vis nervea et irritabilis, quod in cerebri, medullae, ventriculi, intestinorum phlogosi accidit. Ex vasorum genere est, ubi nimio impetu febrili aut

in toto corpore sanguinis crasis solvitur, aut partem inflammatam gangraena invadit, aut sanguinis, lymphae plasticae effusione, suppuratione, scirrho structura organica interit funditus. Ex impedito aut suppresso partis cuiusdam inflammatae munere mors est, ubi cordis, pulmonum, cerebri vita deleta, totius vita organismi deletur, quod vel inflammatis his partibus: in encephalitide, carditide, peripneumonia evenit, vel per deuteropatheiam, sympatheiam affectis.

870. Exanthemata, cutis phlegmasiae, inflammationum exitus habent. Quae cum febre sunt et contagio propagantur, febris sociae rationem sequuntur. Verum et sanguinis crasis contagio mutata notari meretur, quae propria harum inflammationum caussa nisi motu intestino febrili eumque secuta efflorescentia cutis critica emendetur, extincta sanguinis vita, aegros occidit; qualis etiam pestis saepenumero observatur tristis eventus et venenorum organicorum in sanguinem susceptorum. Animadvertenda praeterea cutis in oeconomia dignitas, cum mucoso et seroso systemate cognatio, et fabrica vasculosa, nervea, ut quantopere illius valetudines utramque vitam infestent, cognoscatur.

871. Mors ex haemorrhagiis ab inanitione est et syncope et collapsu vasorum, cordis stimulo deficiente, quo fit, ut sublato confestim vasorum

nervorumque aequilibrio, convulsionibus obortis, occidant, nisi sanguine ipsum partium contextum obruente hae ipsae suffocentur aut vicinae. Quae suppressas haemorrhagias mors sequitur, ei similis est, quam congestiones inferunt.

872. Mors ex altera, neurosium classe a spasmo esse, vel paralysi solet. In tetano, rabie canina illius, in apoplexia, huius generis exemplum habetur. Gravis neuralgia cordis resolutionem ac deliquium lethale concitat. Solet tamen morbus nervorum quam primum increscat, aut protrahatur, vasorum tum sympatheiam tum synergeiam movere, ita ut nervorum valetudine afflictos interimat tandem mors vasorum, quae epilepticorum, catalepticorum, insanientium, tetano correptorum, ex cardialgia, colica dolentium suprema sors esse deprehenditur.

873. Quae morbos ex utroque genere mixtos, rheumata scilicet et febres mors sequitur, ex ante dictis petatur et explicetur. Circa quos monendum, illa inflammatione eaque impura saepe metastatica, gangraenosa, aut febre hectica, atrophia, paralysi necare, has vero lethales fieri convulsione, comate, resolutione, sanguinis dyscrasia, gangraena ac prouti ipsa febris ad nervosam aut vasculosam naturam magis inclinet, etiam vel neurosium vel phlogosium more jugulare. Gastricae febri proprius intestinorum sphacelus est, putri-

dae sanguinis corruptela, nervosae convulsio aut paralysis cerebri, medullae spinalis, nervi vagi; catarrhali inflammatio mucosae, aut in nervosam transitus. Intermittens denique frigoris stadio, externarum partium spasmo, internarum congestione concitatis, aut uti in larvatis in aliquam nervorum provinciam omni impetu insiliens, vitam prosternit. Et quemadmodum hisce motibus febrilibus utplurimum caussa subest in sanguine, vasis, topica affectione viscerum latens, sic inflammatio plerarumque febrium est parens, satelles, progenies, sive in genere vasculoso, arterioso, venoso, capillari collocata sit, sive in nervis. Docent febris ardens, febris puerperarum, catarrhalis, pituitosa, typhus.

874. Morbi plastici classis ultimae interimunt, vel nimia humorum jactura ac κενεαγγείη, vel sanguinis crasi depravata, vel nutritione corporis aut partium laesa, vel subversa penitus earum structura legitima. Priori ratione profluvia, altera scorbutus, chlorosis, melanosis, tertia phthisis, morbi hectici, quarta morbi organici et vitia parasitica vitam pessumdant. Ex profluviis lethalibus fiunt syncope, convulsio, marasmus. Scorbutus sanguine dissoluto ex vasis elabente et fibras musculares obruente et ipsam carnem cordis, syncope lethali utplurimum terminatur. Reliqui plastici atrophia et febre hectica mortem inferunt,

quae syncopes tandem aut asphyxiae specie obrepit, aut corde prius, aut pulmonibus morientibus.

875. Quodsi jam quotuplici ratione in mortem exeant morbi quaeratur, illam tum in genere vasorum, tum in genere nervorum, tum denique in vita plastica sedem figere, respondebitur esseque vel periphericam vel centralem, illam senilem ab extremis corporis partibus obrepentem, hanc juvenilem magis ipsas vitae arces petentem, ita ut rupto partium vinculo, delabente corporis aedificio, praeclarus sileat organorum viriumque chorus.

876. Notetur tamen, lenes esse ab uno genere mortis (858 sqq.) ad alterum (861 sqq.) transitus, qualis apoplexia senum est atque juniorum atrophia, tabes, febris hectica, neque adeo aequabilem esse vitae cursum, quin crebro quaedam ante tempus organa senescant ac moriantur, aut intereuntibus partibus remotioribus, etiam aetate viribusque florentes occumbant.

877. Signa mortis alia incipientis, alia factae. Illa ipsis naturae coloribus in prognostico expressit Asclepiadarum summus: nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, aures frigidae imisque suis fibris inversae, cutis circa frontem dura, intenta et resiccata, et totius faciei color ex viridi pallescens, aut etiam niger, aut lividus, aut plumbeus. Praeterea oculorum adspectus

squalidus et minime lucidus, palpebra, nasus livescens, pallescens, labia resoluta, pendentia, frigida, exalbida, et ulcera in corpore sicca, aut livida, aut pallida, spiritus frigidus ex naribus et ore exspiratus, sudores frigidi circa caput, faciem, collum, ungues et digiti livescentes. Quae universa cordis morientis et capillarium collabentium sunt indicia.

878. Corpus vita orbatum, amisso turgore vitali concidit et calore interno aequabili destitutum aëris externi temperiem aequat. Color fit pallidus, lividus, minuitur partium cohaesio, compages solvitur, odor sentitur ingratus, subdulcis primum aut acidulus, tum putridus. Inde tumet, turgoris saepe ac ruboris redeuntis specie fallens. Hoc fermentationis putridae initium. Surgunt bullae aëriae, exeunt effluvia volatilia, acria, graveolentia. Aboletur omnis corporis forma, liquescit in putrilaginem, odoris intolerabilis. Aliquo tempore elapso, rursus detumescit, fatiscit, subsidet. Color mutatur in fuscum, bruneum, nigrescentem, viridem. Ponderis jacturam facit. Evanescit foetor omnique corpore fere comsumpto, superest massa solidior, oleosa, sebacea, saponis species animalis, et animalis superest terra phosphatica. Itaque analysi spontanea, quae chemica corporis mortui analysis est, ad simplicioris compositionis normam in novas formas

transeunt principia corporis omnisque periit formâ humana.

879. Non tamen periit homo, qui mortis somno sepultus ac requiescens ex vitae miseriis, ultimam ingressus eamque praeclaram metamorphosin, ad vitam veram, vereque vitalem conformatur. Hic pathologiae finis est.

INDEX CAPITUM.

46

EMENDANDA, ADDENDA.

Pag. 23	*lin.* 7	derivat.	*lege:* emanat.
— 34	— 5	affectus	— effectus
— 46	— 26	coryzam	— coryza
— 48	— 23	missus,	— missi,
— 107	— 7	foras	— foris
— 171	— 18	quibus servandis	— de quibus servandis
— 208	— 3	effectus	— affectus
— 222	— 6	pravo. Humoribus	— pravo; humoribus
— 228	— 27	fontis	— fontes
— 241	— 15	collocatus una	— collocata esse
— 260	— 23	Harum	— Huius
— 276	— 22	sarditatem,	— surditatem,
— 282	— 13	aetatis,	— aetates,
— 285	— 5	fit,	— sit,
— 288	— 13	paralyses,	— paralysis,
— 302	— 11	proventus,	— proventu,
— 305	— 25	medicinam. Foetus	— medicinam; foetus
— 326	— 28	epidemius	— endemius
— 333	— 1	dysaesthesias, apocenoses	*lege:* dysaesthesias, dyscinesias, apocenoses
— 338	— 11	quaeant	*lege:* queant